
ΤΩΝ
ΒΙΒΛΙΩΝ
FRANCIS
HOWARD
FOBES
STERN GR. PARIS

QVAESTIONES HERODIANEAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE AMPLISSIMI

PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVI. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXVI

PVBLICE DEFENDET

EDVARDVS HILLER

FRANCOFVRTANVS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

HERMANNVS BREYMANN
ERNESTVS DROYSEN
ERNESTVS FRENKEL

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII

MDCCCLXVI.

IOANNI·CLASSENO

ALFREDO·FLECKEISENO

SACRVM

I.

Cum satis incerta sit huius libelli inscriptio, necessarium esse videtur statim in initio consilium eius breviter indicare. Atque hoc potissimum erat in animo: pauca ea colligere, quae de Herodiani grammatici librorum externa ut ita dicam specie deque materiae eorum digerendae ratione aut pro certo habemus aut cum aliqua probabilitate conicere possumus; in qua re necessario acquiescendum fuit in certis testimoniis, quibus opera nominatim commemorantur. Doctrinam vero Herodiani artisque eius rationem explorare atque explicare nullo modo mihi proposui. Ceterum si modo fusius modo brevius nec satis aequaliter commentatus esse videbor (quae res minime me fugit), excusatio mihi petenda est: hoc enim quasi secum tulit ipsum argumentum. —

Paucorum eorum, quae de Apollonii Dyscoli et Herodiani vitis comperta habemus, fontem inquirentes relegamur ad hominum Byzantinorum lucubrationes. Cum enim Dionysius Thrax vel quicunque alius libelli nomen eius prae se ferentis auctor fuit de prosodia non egisset, posteriore tempore ad supplendam Dionysii Artem alius grammaticus brevem de prosodiis tractatum conscripsit ac Dionysio praeposuit; qui utrum Theodosius canonum ille scriptor an Gregorius esset, iam Byzantinis temporibus dubitabatur.[1]) Quem tractatum non secus atque ipsam Dionysii Artem grammatici commentariis illustraverunt: id quod modo ad Porphyrium modo ad Theodosium modo ad Choeroboscum refertur. Atque in huius commentarii exemplaribus quibusdam reperiuntur, quae de Apollonio et Herodiano Byzantini tradita habebant, sive iam a primo commentarii auctore huic loco destinata sive ab alio

[1]) Bekk. An. p. 1141. Philemo ed. Osann p. 304.

interposita.[1]) Praeterea idem commentariolum etiam seiunctim describebatur ad instruendos apto prooemio Apollonii de constructione libros (Egger, Ap. Dysc. p. 7). His igitur testimoniis fere solis nisi de Herodiani vita haec proferre possumus. Natus est Alexandriae, patre Apollonio Dyscolo, Mnesithei et Ariadnae filio. Ab hoc igitur grammatico celeberrimo institutus atque eruditus Romam profectus est, ubi M. Antonini imperatoris gratiam sibi conciliavit. De causa cur patriam reliquerit dubitatum esse videtur. Unam hanc fuisse tradunt, quod pater novercam domum induxerit; altera, in qua referenda librorum scripturae dissentiunt, sita erat aut in acerbis Apollonii moribus (διὰ τὸ ἐκείνου σκληρόν cod. Par. 2603, eaque melior lectio esse videtur) aut in re familiari (διὰ τὸν οἰκεῖον κλῆρον Ald. et Sylb.). Atque hoc quod ultimo loco posui etiam Constantinus Lascaris pro vero habuisse videtur,[2]) nisi forte notam Apollonii paupertatem temere in filium transtulit. Sed ut haec, quae levissimi momenti esse nemo negabit, mittamus: imperatore adhortante Herodianus magna illa opera quae de prosodia egerunt Romae composuit. Librum cuius titulus συμπόσιον erat Puteolis scripsit (Steph. Byz. s. v. Δικαιάρχεια). Docendo quoque studium grammaticae eum Romae auxisse pro vero haberemus, etiam si Lascaris non referret. Num quando Alexandriam redierit ibique aliquamdiu vixerit, nescimus. Nam mera neglegentia esse videtur, si verba ᾤκει ἐν Προυχείῳ παρὰ τὸν δρόμον, ἐν τόπῳ οὕτω καλουμένῳ περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, ἔνθα καὶ ἐτάφη in vita codicis Parisini de Herodiano proferuntur; multo melior iis locus est apud Aldum, ubi ad Apollonii vitam pertinent. Neque hoc Ammiani loco (22, 16) „Bruchion, diuturnum praestantium hominum domicilium, unde Aristarchus grammaticae rei donis excellens et Herodianus artium minutissimus sciscitator et Saccas Ammonius Plotini magister“ (quibus verbis paulo post Didymi mentio additur) quidquam certi de illa re discimus. Nam unde adverbium demonstrat,

---

[1]) Bekk. l. c. Osann p. 306.

[2]) διὰ τὴν πενίαν ἀποδημήσας τῆς πατρίδος. Iriarte codd. Matr. p. 189. Philol. 23 p. 164.

Ammianum non de virorum illorum domicilio agere, sed de eo loco, ubi literis sunt instructi.[1]) Itaque id quoque apparet, nullam esse causam cur statuamus, Herodianum, antequam Romam esset profectus, Musei fuisse sodalem; quod vero Wettinus quasi huius rei argumentum dubitanter attulit (comment. de Her. p. 4), Herodianum προτάσεις scripsisse, id ne minimam quidem demonstrandi vim habet, cum talia opera a multis grammaticis neque solum a Musei sodalibus composita esse sciamus.

Quaesitum est a viris doctis, utrum Aelio nomen fuerit Herodiano necne. Quod cum negarent Foltzius (quaest. Her. p. 27) et qui eum secutus est Graefenhahnius (Gesch. d. klass. Phil. 3 p. 73), miro modo sunt argumentati. Dixerunt enim, nomen illud in eorum tantum librorum inscriptionibus reperiri, qui ab Herodiano grammatico compositi non essent. E contrario autem id ipsum opus quod solum, quale scriptum est ab Herodiano, ad nos pervenit, inscriptum est Αἰλίου Ἡρωδιανοῦ περὶ μονήρους λέξεως. Huic accedunt Αἰλίου περὶ ἐγκλινομένων λέξεων, Αἰλίου Ἡρωδιανοῦ σχηματισμοὶ Ὁμηρικοί, περὶ ἡμαρτημένων λέξεων, Φιλέταιρος, quae opuscula librarii certe illustri grammatico adscribi voluerunt; commentarii enim qui est περὶ σχημάτων inscriptione nihil probari concedo. Sed paene nimium diu commoramur in re simplicissima. Nonne enim satis probabile est, Herodianum, quippe qui in honore esset apud principem, civitate esse donatum? Id vero notum est, peregrinos, postquam principis beneficio cives facti erant, nomen eius sumere solitos esse. Itaque cum M. Antoninus, a T. Aelio Antonino adoptatus, Aeliae quoque gentis nomen tulerit [2]), pro certo habeo, hoc nomen ab Herodiano esse assumptum. — Frustra autem fuit Goettlingius, Herodiano nomen Alexandro prius fuisse suspicatus (Lehre v. Acc. p. 11), cum eo quo nititur Julii Capitolini loco (M. Ant. 2)

---

[1]) Patriam non significatam esse ex rerum conexu apparet; minusque accurate locutus esset Ammianus, si de patria cogitasset: Aristarchum enim Alexandriae non natum esse nemo nescit.

[2]) Marini Frat. Arv. XXIX. Orelli 857. 6315.

nunc Uhligii emendatione Alexandri Cotiaeensis nomen restitutum sit.

De tempore quo vixerit Herodianus, id solum pro certo dicere possumus, quod iam e testimoniis supra allatis apparet: floruisse eum sub M. Antonino imperatore. Idem traditur a Suida, a Syncello (p. 353 A), denique ab anonymo quodam, cuius verba protulit Lambecius (comm. de bibl. Vind. 7 p. 189); ex iis quae Suidas addit ὡς νεώτερον εἶναι καὶ Διονυσίου τοῦ τὴν μουσικὴν ἱστορίαν γράψαντος καὶ Φίλωνος τοῦ Βυβλίου nihil novi comperimus. Hoc fortasse ex anonymi biographi verbis[1]) concludere licet, Herodianum iuvenem Romam venisse; quod si verum est, probabile fit, etiam Commodi temporibus eum inter vivos fuisse. Herodianum historicum cum grammatico cognatione fuisse iunctum[2]) neque refelli neque comprobari potest; ex solo nomine vix quidquam consequitur. Ea vero, quae Stahrium secutus Poblockius (de Her. vita etc. p. 2) attulit, ut historicum grammatici filium fuisse probabile redderet, nihil ponderis habere vix est quod addam.

II.

Primo loco de iis Herodiani scriptis disputare nobis propositum est, quibus maximam sibi paravit gloriam, scripta prosodiaca dico, atque initium faciamus a libris περὶ Ὁμηρικῆς προσῳδίας, quibus res prosodiacas, quae in carminibus Homericis dubiae esse ei videbantur, accurate tractavit, versuum ordinem secutus. Itaque totum opus divisum erat in duas partes, quarum prior ad Iliadem, altera ad Odysseam pertinuit. Quas eodem tempore editas esse demonstrant fragmenta quae sunt ad H 199 ὡς καὶ ἐν τῇ Τ τῆς Ὀδυσσείας παραλόγως ἐνεκλίναμεν κτλ. ad O 226 ὁμοίως δὲ καὶ ἐπ᾽ ἐκείνου κατ᾽ ὀρθὸν τόνον ἀνέγνωμεν τὴν οἱ κτλ. ad Π 47 ἐν ἑτέροις

---

[1]) παιδευθεὶς παρὰ τῷ οἰκείῳ πατρὶ καὶ τὰ τέλη τῆς παιδεύσεως εἰληφὼς ἀπέστη ἀπ᾽ αὐτοῦ Par. et eadem fere Ald. ἀπέστη τοῦ διδάξαντος πατρός Taur.

[2]) Wolf, narr. de Her. — Wettin p. 5.

διαλαμβάνων περὶ τοῦ „μεταλλῆσαι καὶ ἔρεσθαι“ — ἀπεφηνάμην κτλ. Haec enim spectant ad τ 320, χ 214, γ 69, ac vix Herodianus aoristo usus esset, si futuro demum tempore Odysseae Prosodiam edere sibi proposuisset. Sin vero duae partes simul editae sunt, non minus quam aoristus locum habet futurum, quod invenimus ad A 294 περὶ δὲ ταύτης τῆς ἀναγνώσεως ἐντελέστερον διαληψόμεθα ἐν τῇ Γ τῆς Ὀδυσσείας (50) et ad M 157 ῥηθήσεται δὲ ἐν τῇ M τῆς Ὀδυσσείας περὶ τῆς προσῳδίας. Cui non repugnat quod ad H 390 aliam atque ad ω 228 sententiam ab eo prolatam fuisse scholiasta illius loci docet. — Operi Herodianeo similia fuisse videntur ea, quae Ptolemaeus Ascalonita et Tyrannio Phoenix [1]) de prosodia Homerica composuerunt.

Prosodiam ipse Herodianus in libro περὶ καθολικῆς προσῳδίας hoc modo definivit [2]): προσῳδία ἐστὶ ποιὰ τάσις ἐγγραμμάτου φωνῆς ὑγιοῦς [3]) κατὰ τὸ ἀπαγγελτικὸν [4]) τῆς λέξεως ἐκφερομένη μετά τινος τῶν συνεζευγμένων περὶ μίαν συλλαβήν, ἤτοι κατὰ συνήθειαν διαλέκτου ὁμολογουμένη, [5]) ἤτοι κατὰ τὸν ἀναλογητικὸν ὅρον καὶ λόγον. Duo sunt in his verbis, de quibus recte intellegendis dubitari potest. Atque illa quidem verba μετά τινος τῶν συνεζευγμένων περὶ μίαν συλλαβήν scholiasta Dionysii (p. 677 sq.) ita explicavit, ut his συνεζευγμένοις ipsas prosodias (sc. τόνους, χρόνους, πνεύματα) significari arbitraretur: οὔτε χρόνος χωρὶς τόνου εὑρίσκεται, οὔτε τόνος χωρὶς χρόνου· ἀλλ' οὐδὲ πνεῦμα πάλιν αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ ἐκφέρεται τούτων ἄτερ. Quam explicationem falsam esse Schmidtius (Beitr. z. Gesch. d.

---

[1]) Sine idoneis argumentis Planerus (de Tyr. p. 7 sq.) et Sengebuschius (Hom. diss. I. p. 38) maiori, non minori Tyrannioni Prosodiam Homericam attribuendam esse censuerunt.

[2]) Schol. Dion. Thr. p. 676. (Villois. An. 2 p. 103. Theod p. 202 Goettl.) Theod. p. 61 Goettl. Append. Etym. Gud. p. 670. Cod. Taur. ib. p. 730. Moschop. p. 31.

[3]) ὑγιοῦς deest in cod. Taur. et ap. Mosch. ὑγιούσης App. Et. ὑγιῆς v. l. adnotatur in schol. Dion. et in cod. Taur.

[4]) ἐπαγγελτικὸν Taur. et App. Et.

[5]) Sic Theod. ὁμολογουμένης schol. cod. Taur. Mosch. ὁμολογουμένην App. Et.

Gramm. p. 185) recte demonstravit; nisi quis putare malit, Herodianum sententiam suam prorsus inepte expressisse. Itaque Schmidtius censuit, συνεζευγμένα illa nihil aliud esse nisi singulas quae syllabam efformant literas. Quod mihi quoque placet; hoc tamen addo, συνεζευγμένων vocabulo non solas significari literas (tum enim cur Herodianus non scripserit μετὰ στοιχείου τινός, vix esset intellegendum), sed literas cum suis vel syllabarum prosodiis coniunctas. Itaque, ut exemplo utar, in βάθος vocula accentus acutus (quae est una e prosodiis) enuntiatur (ἐκφέρεται) cum a litera brevi. Eodem modo Herodiani verba intellecta esse puto a scriptore grammaticae, quam Sturzius Etymologico Gudiano adiunxit (p. 671). Is enim haec dicit: ἐπεὶ συνεζευγμένα λέγονται τὰ στοιχεῖα (συμπλεκομένων γὰρ αἱ συλλαβαὶ καὶ αἱ λέξεις γίνονται), οὐκ ἔστι δὲ συλλαβὴ κατὰ τοὺς παλαιοὺς τῶν γραμματικῶν μὴ ἐπιδεχομένη τόνον, *πρέπει, φησί,* μήτε τόνον χωρὶς χρόνου εὑρίσκεσθαι κτλ. et paulo post: ἐπεὶ λέγονται συνεζευγμένα κατά τινα (add. συλλαβὴν) οὐ τὰ στοιχεῖα μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ τόνοι καὶ οἱ χρόνοι.

Multo maioris momenti ea quaestio est, quatenus definitio illa pertineat. Dividebantur enim prosodiae a veteribus plerumque in quatuor genera quae erant τόνοι, χρόνοι, πνεύματα, πάθη[1]). (In quibus πάθη non ea sunt, quae vulgo a grammaticis ita appellantur, sed notae adhibitae in singulis vocabulis recte disiungendis aut in unum conglutinandis; quae erant ἀπόστροφος, ὑφέν, διαστολή sive ὑποδιαστολή.) Erant autem qui Herodiani definitionem de solis accentibus intellexerunt[2]); sed iam Byzantini grammatici hanc sententiam iure reiecerunt neque nobis diutius in hac re commorari opus est. De quarto autem prosodiarum genere dubitatio oritur multo gravior. Neque enim ab omnibus grammaticis πάθη prosodiis proprie adnumerabantur[3]), et si de τάσις vocabuli significatione cogitaverimus, Herodiani definitione ea non contineri Schmidtio (p. 186) concedendum est. In hoc autem is vehementer erravit,

---

1) Schol. Dion. p. 674, 11 qui est unus locus e multis.

2) Schol. Dion. p. 678, 27 (Et. Gud. p. 671, 41).

3) Schol. Dion. p. 683, 22. Choerob. ibid. p. 705, 5.

quod in Herodiani scriptis prosodiacis πάθη non tractata fuisse arbitratus est. Imo si quis vel strictim attigerit Prosodiae Iliacae reliquias, videbit, permultis locis Herodianum de rebus ad πάθη pertinentibus egisse [1]); de Catholica autem infra videbimus. Atque equidem rem ita sese habere puto. Cum saepissime quaestiones prosodiacae cum iis, quae ad πάθη pertinebant, artissime essent coniunctae (veluti si quaerebatur, utrum praepositio συνθέσει an παραθέσει substantivo adiuncta esset), facile fieri poterat, ut grammatici, cum de prosodia agerent, etiam quaecunque ad πάθη spectantia afferri poterant, tractarent. Quod in Prosodia Homerica factum esse videmus. Neque tamen Herodianus diligenti atque accurata prosodiae definitione πάθη comprehendenda esse censuit. Atque ita πάθη inter prosodias haberi poterant non κυρίως, sed καταχρηστικῶς. Posteriorum vero temporum grammatici ultra progressi πάθη quasi quartum prosodiarum genus ceteris addiderunt.

Erant igitur tractata in Prosodia Homerica τόνοι, χρόνοι, πνεύματα, πάθη, neque vero quidquam, ut videtur, amplius. Atqui ego hoc non contenderim, Herodianum de iis rebus grammaticis, quae ad prosodiam non spectant, ne unum quidem verbum dixisse; imo vero rei natura secum tulit, ut nonnunquam adnotationi prosodiacae alia quaedam adderet, quae ad illam recte intellegendam necessaria vel utilia esse censuit. Eius modo sunt quae profert ad A 80 de χερείων, ad Γ 219 de ἄιδρις vocabulorum declinatione, ad A 567 de ἄαπτος vocis etymologia et significatione, ad B 521 de altera nominis Ὑάμπολις forma, ad E 9 de Δάρης, ad O 607 de ἀφλοισμός, alia. Nusquam vero, opinor, talia commemorat, nisi occasione data per prosodiam. Sunt quidem loci qui huic sententiae obstare videntur; sed numerus eorum tam exiguus est, ut, cum de scholiorum Homericorum compositione in singulis quid verum sit statuere saepissime lubricum sit atque incertum, quidquam ex iis in universum concludi ratio vetet. Et sane diligenter re examinata certi aliquid iis non probari etiam facilius intellegemus.

---

[1]) V. imprimis ad A 461. B 427. Z 465. H 177. I 236. 398. O 10. 394, quibus locis de ceteris prosodiis quaestio non est.

A 62. sq. ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα
ἢ καὶ ὀνειροπόλον κτλ.

Herodianus hoc loco post ἐρείομεν interpunxisse fertur. Quod nisi ex nominum confusione fluxit, inde explicari potest, quod Herodianus more suo de ἢ — ἢ coniunctionum accentu egit, διαζευκτικούς eas esse docuit [1]) atque ita data occasione satis apta de totius enuntiati sensu atque interpunctione breviter disseruit.

216 sqq. χρὴ μὲν σφωίτερόν γε, θεά, ἔπος εἰρύσσασθαι,
καὶ μάλα περ θυμῷ κεχολωμένον· ὣς γὰρ ἄμεινον.
ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ.

Legimus ad hunc locum adnotationem Nicanoris, quo demonstrat post ἄμεινον interpungendum esse, his additis: γέλοιος δ' ὁ Πτολεμαῖος, ὃς αἰτίαν ἡγεῖται τῶν διαστολῶν ἐνθάδε τὸ γνωμικῶς λέγεσθαι τὸν τελευταῖον στίχον. καὶ γὰρ εἰ μὴ γνωμικὸς ἦν, οὐδαμῶς ἐδύνατο συνάπτεσθαι τοῖς ἄνω, ἀσύνδετος ὤν, ὁ λόγος. Tum sequitur haec brevior adnotatio: στικτέον, εἶτα ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς „ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ“. γνωμικώτερον γὰρ τὸ τοιοῦτο εἴρηται. οὕτως Ἡρωδιανός. Hoc vero ab Herodiano profectum esse nego. Neque enim dubitari potest, quin Herodianus, enarrandis carminibus Homericis studiosissimus, Nicanoris περὶ Ὁμηρικῆς στιγμῆς libros perlegerit [2]), et, si hoc verum est, quis putaverit, virum sagacissimum id quod Nicanor ineptum esse evicit simpliciter repetiisse? Quare puto, aut alterum scholion ad Ptolemaeum esse referendum aut (atque id multo probabilius videtur) prius neglegenter esse excerptum et errore epitomatoris Herodiano adscriptum.

I 225 sqq. χαῖρ', Ἀχιλεῦ. δαιτὸς μὲν ἐίσης οὐκ ἐπιδευεῖς
ἠμὲν ἐνὶ κλισίῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο
ἠδὲ καὶ ἐνθάδε νῦν.

Schol. A: τὸ ἑξῆς ἐστι „δαιτὸς μὲν ἐίσης οὐκ ἐπιδευεῖς· ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν, ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα.“ ἐκεῖνα

---

[1]) V. ad E 812. Et. m. 415, 44.

[2]) Contrarium ex eo quod Nicanorem non citat vix quisquam concludet: ipse de prosodia, Nicanor de interpunctione egit.

γὰρ μεταξὺ τέθειται „ἧμεν ἐνὶ κλισίῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο ἠδὲ καὶ ἐνθάδε νῦν“. οὕτως Ἡρωδιανός. Initium adnotationis periit. Herodianus enim, ut mihi quidem persuasum est, eos qui ἧμεν scribere voluerunt refutavit (v. Ariston. ad h. l.), ἐσμέν supplendum esse docuit, denique addidit τὸ ἑξῆς γάρ ἐστι κτλ.

Porro quae ad A 128 de δῷσι, ad Δ 3 de ἐῳνοχόει, ad I 605 de τιμῆς formis docentur, ex aliis Herodiani scriptis, verbi causa e Catholica excerpta esse possunt; neque enim solam Prosodiam Iliacam in scholiis adhibitam esse nemo ignorat. Talesque loci fragmentis Prosodiae Iliacae saepe simillimi sunt; veluti adnotationes ad Π 697 et ad Φ 232 ad Catholicam, non ad Homericam Prosodiam pertinere quis divinaret nisi additum esset? Restat scholion ad E 297, quod cum totum ad interpunctionem spectet, Nicanoris, non Herodiani esse censeo; Nicanoris sententiam re vera eo contineri docet schol. LV. Quod vero falsa subscriptio (Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ προσῳδίᾳ) additur, frequens errorum genus est. Fortasse aliquis obiecerit Herodaneum illud ὡς ὅτι (v. Lehrs, Ar. p. 34), quod sane in Nicanoris fragmentis non reperitur. Sed reperitur in scholiis certe non Herodianeis, neque omnino, cum Nicanor Herodiano aetate non multum antecesserit, hanc difficultatem magnam esse arbitror.

Iliacae Prosodiae fragmenta in scholiis ad Iliadem Venetis nobis servata esse notissimum est neque ego, quod de horum scholiorum compositione in universum iam diu constat, hoc loco denuo proferam. De forma vero, qua reliquiae illae nobis servatae sunt deque iis rationibus, quas secuti grammatici operis Herodianei locos exscripserunt atque excerpserunt, prorsus accurate et copiose tum demum agi poterit, cum talis scholiorum in Iliadem editio, qualis ab omni parte nobis satisfacere possit, in lucem prodierit. Etiamsi enim Bekkerum de his scholiis optime meritum esse omnes novimus, tamen ex iis, quae de codice Veneto vetere retulerunt Pluygersius et La Rochius peculiaribus libellis, Wachsmuthius in Mus. Rhen. XVII. p. 178 sqq., de altero Mehlerus (ib. 7 p. 145 sqq. 8 p. 143 sqq.), apparet, Bekkeri editione ex omni quidem parte nos minime posse confidere. Ut unum tantum afferam: inter codicis Veneti textum et maiora scholia breviores adnotationes

posteriore ut videtur tempore scriptae exstant (La Roche, Text, Zeichen etc. p. 1). Itaque in diiudicandis singulis satis multum interest scire, ad utrum genus unum quodque pertineat; saepe vero nihil paene certi adhuc de ea re statui potest. Attamen nonnulla Beccardus docta ac subtili disputatione exploravit (de schol. in Il. Ven. p. 4 sqq.). Verbi gratia intellexit, ab iis, quae antiquissimae scholiorum Venetorum partis auctor (quem scholiastam κατ' ἐξοχὴν nominat) ipsis plerumque Herodiani verbis conscripsit, distinguendas esse alias adnotationes, posteriore tempore additas. In eo autem erravit, quod haec scholia uni homini quem epitomatorem dicit tribuenda esse censuit; sunt enim, ut recte dixit Sengebuschius (diss. I. p. 41), per varias manus collata, quod e varia eorum forma cognosci posse arbitror. Hi igitur epitomatores et ipsi Herodiani sententias attulerunt, neque tamen ipsis eius verbis usi sunt. Quo factum est, ut compluribus locis eadem Herodiani adnotatio duplici forma nobis tradita sit, velut ad A 63. Γ 198. Δ 308. 319. I 529 et alibi. Puto autem, epitomatores non ipsum opus Herodianeum, sed excerpta scholiastae in conscribendis suis scholiis adhibuisse, quamquam fieri potuit, ut unus vel alter nonnunquam pleniorem formam excerptorum illorum quam nos ante oculos haberet. Neque tamen ullum locum inveni, ubi pro certo dici possit, ea quae epitomatores excerpserint in scholiastae adnotatione non reperiri. Id vero commemorandum est, nonnunquam in codice Veneto duas legi adnotationes de prosodia agentes, quae ad unum auctorem referri non possunt. Quarum una quidem Herodiani est, altera ex alio quodam commentario vel opere grammatico adscripta [1]). B 755 Herodianus: ἀπορρώξ: Ἀρίσταρχος ὀξυτόνως ὡς φυλακοτρώξ καὶ ἡ σύνθεσις δὲ τοῦτο ἀπαιτεῖ, ὅτι ἂν σημαίνῃ, εἴτε πάθος εἴτε ἐνέργειαν. Alius: ἀπορρωξ δὲ ὀξυτόνως μὲν ἀπορροή, βαρυτόνως δὲ ἀπόρρηγμα. Potest haec sententia ad Ptolemaeum Ascalonitam referri, qui tales distinctiones in ponendis accentibus amabat. Maiorem probabilitatem habet, eiusdem gram-

---

[1]) Aristonicus quoque prosodiam compluribus locis respexit, velut ad B 189. Z 289. K 335. T 402. Eius autem scholiorum rationem hic non habui.

matici verba servata esse ad Ξ 387. Hoc enim loco postquam Herodianus nos docuit, Ptolemaeum falso δάι, non δαΐ scripsisse, hoc ipsum altera adnotatione expositum invenimus. — Η 558 autem quin brevior adnotatio Porphyrii sit, dubitari nequit, cum formam quaestionis et refutationis habeat (v. Wollenberg, de Porph. stud. phil. p. 15). Accedit quod eam vocis ἐσήλατο explicationem, quae inest in hoc scholio, Porphyrii fuisse et Eustathius et scholia Victoriana docent. In his Porphyrii nomen pro Lysania positum est, qui primus explicationis illius auctor fuisse videtur (v. Lehrs p. 320 adn.). — Ea, quae ad Ν 103 praeter Herodiani adnotationem codex Venetus habet, speciem doctrinae prae se ferunt; citantur enim ibi complurium grammaticorum sententiae quas Herodianus non commemorat. De auctore autem huius scholii, cuius verba lacunis corrupta sunt [1]), ne coniecturam quidem facere audeo. Hoc tantum puto, vixisse eum post Herodianum; neque enim Casium illum, quem citat, Herodianus novit et inepto scholio quod est ad Η 238 probabile fit, recentiorem fuisse Casii aetatem. — Denique quae ad Σ 100 de Parmenisci et Ptolemaei opinionibus in codice Veneto leguntur, permira sunt ac vix credibilia; Ν 71 autem Herodiani sententia, quae priore loco exstat, cum lege de accentu deminutivorum inepte confunditur. Quare utrumque locum indocto cuidam posterioris temporis grammatico tribuendum esse censeo, etsi prior fortasse ex bono fonte haustus est.

De scholiis recentioribus, quae exstant in codicibus Lipsiensi et Victoriano deque iis quae Venetus alter cum his communia habet [2]), postquam Lehrsius (p. 38) omnem fidem eis derogavit, clementius suo iure iudicaverunt Beccardus (p. 84 sq.), Sengebuschius (n. Jahrb. 73 p. 765), Kayserus (Phil. 21 p. 321 sq.). Utendum iis est eodem fere modo quo homine non mendaci illo quidem, sed ea, quae ab aliis audivit et saepius non recte intellexit, neglegenter atque incuriose refe-

---

[1]) Lehrsius p. 261 satis probabiliter ea restituere conatus est.

[2]) Quae in uno hoc codice leguntur, paene omnia sunt Porphyrii. Lehrs p. 225. Gildersleeve, de Porph. stud. Hom. p. 22. Wollenberg p. 14.

rente. Id non minus in Herodianeis quam in ceteris scholiis cernitur. Usi sunt ii qui haec scholia conscripserunt non Herodiani de prosodia Iliaca opere, sed talibus plerumque excerptis, qualia epitomatores quos diximus codicis Veneti A composuerunt. Ac saepe quidem haec scholia in recentioribus codicibus iisdem verbis exstant, aut, quae in Veneto A ex Herodiano excerpta sunt, in his libris breviore forma referuntur. Quanta autem fuerit neglegentia illorum scholiastarum Byzantinis temporibus scribentium, e compluribus locis apparet. Sic, ut pauca exempla afferam, ad B 393 Herodianus, postquam dixit ἐσσεῖται formam Doricam esse, haec addit: ἤδη γὰρ πολλὴ χρῆσις τῶν τοιούτων (sc. formarum Doricarum) παρὰ Ἀττικοῖς. Ea in scholiis BL ita sunt mutata: τὸ δὲ ἐσσεῖται Ἀττικόν ἐστιν, ἔσσεται ἐσσεῖται, ἔσται [1]). Initium adnotationis Herodianeae quae est ad Α 409 hoc est: Ἀλεξίων τὸ τόνδε ἓν μέρος λόγου ἐκδέχεται καὶ παροξύνει, ἵνα ἰσοδυναμῇ ἀναφορικῇ τῇ τοῦτον. Τυραννίων δὲ δύο μέρη λόγου ποιεῖ κτλ. Contrarium in codice V refertur: δύο μέρη λόγου τὸ τὸν δέ, ὥς φη. Ἀλεξίων. Id praecipue istius modi epitomatoribus accidit, ut grammaticorum nomina confunderent. Α 799 Herodianus: ἴσκοντες: Ἀρίσταρχος ἀξιοῖ διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφειν κτλ. οἱ δὲ περὶ τὸν Ἀλεξίωνα διὰ τοῦ ι μόνου συνεσταλμένου. κἀγὼ δὲ τούτοις συγκατατίθεμαι κτλ. Cod. V: Ζηνόδοτος διὰ τοῦ ι (an ει?). ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς διὰ τοῦ ι βραχέος φησὶν εἶναι τὴν γραφήν. Ν 809 V de μακρὰ βιβάσθων: Ἀρίσταρχος δέ φησιν, ἐὰν ὀξύνηται ἔσται μακρὰ βιβάς. Herodianum dicere voluit, qui adnotationem suam his verbis concludit: παραιτητέον δὲ καὶ τοὺς ὀξύνοντας ὡς δεύτερον ἀόριστον. Contrarium factum esse videmus ad Η 353 et Π 59, ubi Herodianus Aristarchi locum obtinet. Nam priore loco verbis τὸ ἵνα ἀντὶ τοῦ ἐὰν παρὰ Ἡρωδιανῷ epitomatorem nihil aliud significare voluisse, nisi ἵνα pro ἐάν voce positum esse (τὸ ἵνα οὐχ ὁμηρικῶς παρείληπται ἀντὶ τοῦ ἐάν Ariston.), aperte demonstrant quae sequuntur: δυνατὸν γὰρ σύνδεσμον ἀντὶ συνδέσμου παραλαβεῖν. Neque aliter comparatus est alter locus: ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς αἰτιατικὴν ἀντὶ γενικῆς φησιν, ubi Aristonicus: ἡ διπλῆ ὅτι ἀντὶ τοῦ ἀτιμήτου μετανάστου κτλ.

---

[1]) V. de hoc loco Lehrs, Herod. p. 208 sq.

Ex hoc potissimum errorum genere orta est opinio editionem Homeri ab Herodiano paratam esse, id quod pro vero habuerunt Foltzius (p. 7) et Graefenhahnius (p. 74). Hanc vero editionem nullam fuisse, postquam iam Beccardus (p. 46) et Sengebuschius contenderunt, tam accurate atque copiose demonstravit Lentzius (Phil. 21 p. 390 sqq.), ut ego hanc rem brevissime absolvere possim, paucis tantum additis. Atque in Venetis quidem scholiis perpauci sunt loci, ubi lectiones quaedam, quae alienae sunt a prosodia, quasi Herodianeae commemorantur (E 909. Z 266. H 171. Θ 296. I 203.). Qui cum ad opus περὶ Ἰλιακῆς προσῳδίας referri non possint (si quidem vera sunt quae supra de hoc libro disputavimus), summa cum probabilitate Lentzius ex aliis Herodiani scriptis eos allatos esse coniecit[1]). In diiudicando uno loco qui est ad Z 266 erravit, quia Pluygersii libellum (de carm. Hom. etc. retract. edit. p. 11) non inspexit. Nam cum Bekkeri editione confisus Zenodotum ἀνίπτησιν, Herodianum ἀνίπτῃσιν scripsisse putaret, Herodiani scripturam in Catholica commemoratam fuisse suspicatus est. Neque vero codex in Aristonici adnotatione habet οὐκ ἔστι δὲ ἡ εὐθεῖα ἀνίπτης, sed ἀνίπτη. Itaque etiam Zenodotus ἀνίπτῃσιν legi voluit, et cum hoc ita sese habeat, quis est cui non omnium maxime probabile videatur, hoc loco etiam in Venetis scholiis Herodianum cum Zenodoto ab epitomatore confusum esse? Assentior igitur M. Schmidtio (Did. p. 129 sq.), nisi quod is errorem ex compendiosa scriptura, ego ex mera neglegentia ortum esse arbitror. — Multo maior in deteriorum codicum scholiis numerus eorum locorum est, quibus lectiones Herodianeae afferuntur; quin etiam semel Herodiani editio expresse commemoratur (schol. V ad H 238). Sed paene in omnibus his locis errores nominumque confusiones inesse a Lentzio demonstratum est, adhibitis codicis Veneti scholiis. Positum est Herodiani nomen aut pro incerta quae in his legitur significatione (H 238 τινὲς A. ἡ Ἡρωδιανοῦ V) aut pro Aristarcho (A 258 quem locum Lentzius omisit, M 276. N 541. O 72. X 69. Ψ 39) aut pro

---

[1]) In Catholica Herodianum occasione data de lectionibus Homericis egisse, diserte demonstrat schol. Ven. Ψ 137.

Dionysio Sidonio (Ξ 40) aut pro Zenodoto (Θ 378). Nam mihi quidem persuasum est, id quod ultimo loco posui scholion codicum BL ad idem genus quo cetera pertinere (ita etiam Schmidt p. 130). Neque enim ullo modo credibile est, Herodianum probasse audacem Zenodoti scripturam, qui Doricam formam προφανείσας [1]) epico sermoni tribuere non dubitavit, et quanta fides huic scholio habenda sit, ex eo apparet, quod ne Aristarchi quidem lectio recte refertur (προφανέντε AV. προφανεῖσα BL). Nusquam vero magis neglegentia horum epitomatorum apparet quam in adnotatione codicis V quae est ad H 110: Ἀρίσταρχος καὶ Ἡρωδιανὸς ἀνὰ δ' ἴσχεο; utrumque enim ἀνὰ δὲ σχέο legisse Didymus et ipse Herodianus docent. Quae cum ita sint, dubitari nequit, quin etiam scholia recentiora ad E 857. H 298. Ψ 104. Ω 584 deterioribus libris propria, quae eam ob causam cum scholiis Venetis comparari non possunt, ad idem errorum genus pertineant.

Ceterum nonnunquam factum est, ut hi scholiastae excerptis Herodianeis uti potuerint, quae in codice Veneto non inveniuntur. Itaque compluria Prosodiae Iliacae fragmenta recentioribus scholiis nobis servata sunt. Huc pertinent, ut optima eligam (quamquam ne haec quidem corruptelis et librariorum erroribus vacua sunt), scholia ad A 52. 214. 554. 574. B 266. 495. 504. Γ 35. E. 744. H 273. Θ 177. N 424. P 465. Σ 266. T 270. Φ 507. 573. Υ 228 [2]). 485, praecipue autem ea quibus magnae scholiorum Venetorum lacunae supplentur [3]). Et quaedam deteriorum codicum scholia plura continent quam ea, quae ad eosdem locos in Veneto adnotata sunt. Sic ad

1) Cf. Her. π. διχρ. 296, 17 cum Lehrsii adn.

2) Ἀρίσταρχος ἄλλοτε, ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς ἀλλ' ὅτε, quod cur verum esse non possit non intellego. Certe ad prosodiam pertinet et propterea Lentzio, cum de lectionibus Herodiano attributis ageret (p. 393) omittendum fuit. De alia re agit codicis A scholion Ἀρίσταρχος ἀλλ' ὅτε δέ, ἄλλοι δὲ ἀλλ' ὅτε δὴ διὰ τοῦ η.

3) V. Beccard p. 79 sq. La Roche p. 1 sq. Miror Lehrsium in colligendis Prosodiae Iliacae fragmentis hoc neglexisse. Exempli gratia ea enumero, quae in scholiis Lipsiensibus ad E 336—635 adnotata ex Herodiano fluxisse videntur: 352. 400. 405. 461. 487. 502. 511. 523. 557. 567.

T 87 A: ἠεροφοῖτις: προπερισπαστέον ὁμοίως τῷ πρωθῆβις καὶ πολῖτις. πειστέον δὲ μᾶλλον τοῖς παρὰ τὸν ἀέρα ἐκδεξαμένοις τὴν σύνθεσιν γεγονέναι κτλ. Quae intellegi non possent, nisi in BV legeretur: τινὲς τὸ η ἄρθρον ἐδέξαντο ἵν' ᾖ ἡ ἐροφοῖτις, παρὰ τὴν ἔραν, ἡ ἐν τῇ γῇ φοιτῶσα ἢ οἷον ἐρεβοφοῖτις. Ad Φ 123 A: ἀκηδέες: ὡς εὐσεβέες, ἵνα αὐτοὶ οἱ ἰχθύες ἔχωσι τὸ ἐπίθετον. Cur necessarium fuerit haec adnotare, discimus e V: οἱ δὲ ὡς ἀνηλεὲς ἐπὶ τοῦ Λυκάονος, Ad Φ 163 A περιδέξιος: ἄμεινον συνθέτως ἀναγινώσκειν, ὡς ἐπιδέξιος καὶ ἀμφιδέξιος. Paris.: Πτολεμαῖος ὁ Πινδαρίων ἀναστρέφει τὴν περί, ἵνα σημαίνῃ τὸ περισσῶς. Nec non scholia recentiora ad A 554. Z 149. H 334. Θ 233. I 130. Ξ 372. Σ 400. Υ 114. Φ 110. 221. X 51. Ω 235 is, quae Venetus praebet, nova quaedam addunt. Quamquam, his omnibus quam cautissime utendum est, praesertim si certa grammaticorum nomina afferuntur. Denique ut in Venetis, sic etiam in his de quibus agimus scholiis nonnulla prosodiaca inveniuntur, quae ex Herodiano omnino non hausta sunt. Quae tum fere omnia falsa sint ac perversa, enumerare tantum quosdam talium locorum sufficiat: ad A 277 BL. M 295 BLV. Ξ 321 BL. O 142 BLV. Π 415 V. Σ 319 D. X 473 V. Ψ 718 B.

Multa etiam maiorem quam in Iliade iacturam in Odyssea fecimus. De Prosodiae Odysseacae reliquiis in scholiis ad Odysseam nobis servatis (v. Lehrs, Ar. p. 35 adn.) valet, quod Dindorfius de eorum codicibus in universum disputavit (praef. schol. p. IV sqq. XII): omnium codicum plurima Herodianea Harleianus praebet; pari autem in hac re pretio est ac saepe eum supplet in tribus primis libris Venetus (ad quartum perpauca Herodianea is habet), in quatuor iis qui sequuntur Heidelbergensis. Nomen Herodiani raro additur ac nonnullis locis num iure additum sit valde dubitandum; cf. schol. β 222. ι 445. ν 15. ρ 57. 228. 627. Ceterum, etiamsi non solum longe plurimae Herodiani in Odysseam adnotationes deperditae, sed etiam eae quas habemus valde decurtatae sunt atque contractae, tamen summo iure Kayserus quondam optavit, ut tandem eae quoque quae in his scholiis insunt veterum grammaticorum reliquiae colligantur, emendentur, enarrentur. Quod opus quoad spectat ad Herodianum spero me mox, prout per vires licet, perpetraturum esse.

III.

Universam de prosodiis doctrinam post finitam Prosodiam Homericam (Her. ad O 338) Herodianus magno opere absolvit, quod propter hanc ipsam materiae amplitudinem περὶ καθολικῆς προσῳδίας inscripsit; semel περὶ καθολικωτέρας προσῳδίας scribit (de Mon. 34, 8), sine dubio ut distinguat hunc librum ab Attica Prosodia. Causam inscriptionis biographus ita exponit: καθολικὴ λέγεται, ὅτι ἀπὸ μονοσυλλάβων εἰς συλλαβὰς ἕως ἐξασυλλάβων διαλαμβάνει. Quae quamvis mire dicta sint, tamen nihil significare possunt nisi rem simplicissimam, quae negari nequit: Herodianum in Catholica omnium vocabulorum Graecae linguae prosodias docuisse. Id vero biographus minime dicere voluit — aut, si voluit, nugatus est — initium Catholicae a monosyllabis fuisse factum; imo haec quarto decimo demum libro locum habuerunt. Posterioribus temporibus brevis inscriptio ἡ καθολική sive ἡ καθόλου in usu erat atque ita fere semper liber appellabatur, praeterea αἱ καθόλου προσῳδίαι (Steph. Byz. p. 282, 2), a Constantino Lascari etiam ἡ μεγάλη προσῳδία (Iriarte p. 189. 191). Priscianus Catholica plurali numero dicit (I p. 276); nonnunquam vitiose ἐν τῷ καθόλου citatum invenimus. Praeterea autem hic quoque invenimus notum illum morem, quo partes unius cuiusdam operis propriis nominibus citantur. Ita producitur Herodianus ἐν τοῖς εἰς λις Steph. p. 26, 20, ἐν τρισκαιδεκάτῳ περὶ οὐδετέρων ib. p. 2, 13, περὶ μονοσυλλάβων Theogn. p. 134, 17 (cf. Arc. p. 144, 21 Schm.), ἐν τῷ περὶ πνευμάτων ib. p. 19. Neque enim ullam causam video, cur hos duos Theognosti locos cum Lentzio (Phil. 19. p. 111. Suppl. 1 p. 644.) ad peculiares libros neque ad Catholicae librum quartam decimum et vicesimi alteram partem referamus; quod de secundo loco iam Giesius vidit (üb. d. äol. Dial. p. 225). — Eiusdem nominis librum Heraclides composuit; Philoxemus quoque et Apollonius περὶ προσῳδιῶν, praeterea (nisi hae partes fuerunt operum περὶ προσῳδιῶν) Trypho περὶ πνευμάτων Orus περὶ διχρόνων et περὶ ἐγκλιτικῶν μορίων scripserunt. Sed qualescunque fuerunt hi libri, cum Herodianeo sine dubio ne

comparari quidem potuerunt. Herodianus enim non solum quaecunque ad prosodiam pertinuerunt edocuit omnesque quaestiones huc spectantes exposuit [1]), verum etiam in permultarum vocularum commemoratione etymologiam, declinationem, sensum, genus, terminationes, rariores formas, passiones, denique quaecunque ad vocabulorum usum, formas, significationes pertinent, copiosis excursibus tractavit [2]). Accedit quod data occasione accurate nonnullos difficiles poetarum locos explicasse ac res geographicas, mythicas vel alia eius modi illustrasse videtur [3]). Quae cum ita sint, non mirandum est, summum Catholicae honorem apud veteres fuisse. Cuius rei vel id perspicuum documentum est, quod Eupithius quidam Atheniensis singularem operam in eo consumpsit, ut exemplar quoddam Catholicae prosodiarum et interpunctionum signis instrueret [4]); quem laborem haud exiguum fuisse querelis eius profecto credendum est (Anth. Pal. 9, 206). In breviores formas saepe redactum esse opus πολύυλον pro certo habere possumus, quamquam una tantum epitoma diserte commemoratur ab Aristodemo quodam confecta (Suid. s. v.).

De Catholicae prooemio duo habemus testimonia. Et biographus quidem haec profert: ἐν ᾗ (sc. τῇ καθολικῇ) μετὰ τὸ πρὸς Μάρκον προοίμιον οὕτω τὴν προσῳδίαν ὁρίζεται· προσῳδία ἐστὶ κτλ, Arcadius autem qui dicitur haec (p. 2, 17): εὐθὺς οὖν

---

1) Ioannes Al. p. 4 de hac re: ὅπερ ἐν ἓξ μυριάσιν Ἡρωδιανῷ πεπαίδευται.

2) Cf. Arc. p. 1 sq. Schm. et quae infra p. 19 ex eodem exscripsimus. — Choerob. in Theod. p. 272, 1. Et. m. 134, 20. 146, 23. — Choer. p. 16, 19. 837, 19. Theogn. p. 38, 25. — Schol. Dem. in Mid. p. 683 Did. Schol. Ar. Av. 1680. Steph. p. 25, 9. Schol. Aphth. Prog. 2 p. 667 W. — Steph. p. 4, 5. Choer. p. 515, 4. Et. m. 80, 39. — Et. m. 206, 57. Theogn. p. 3, 1. 45, 23. 56, 28. 123, 17. 158, 14. Cram. An. Par. 4 p. 183, 7. — Her. Mon. 34, 7.

3) Schol. Il. Ξ 143. Steph. p. 282, 2. — Steph. p. 2, 8. 247, 14. 502, 14.

4) Neque enim dubito quin στίζειν hoc loco etiam ad prosodias spectet, quo sensu vocem usurpatam invenimus in Epiphanii loco allato a Villois. praef. Il. p. IX.

τὴν ἐν τῷ προοιμίῳ διατριβὴν περιελόντες, ἐνδεικνυμένην τὸ μέγεθος τῆς πραγματείας καὶ τῶν πρότερον γεγραφότων τὸ ἐνδεὲς ἐλέγχουσαν, ἐπ᾽ αὐτὰ ἥξομεν τὰ πρὸς ἐπίγνωσιν τῆς ἀναλογίας κατεπείγοντα. Neque vero his duobus locis de una eademque re agitur. Apparet enim, epitomatorem τῇ ἐν τῷ προοιμίῳ διατριβῇ omnia ea breviter comprehendere, quae canones prosodiacos (τὰ πρὸς ἐπίγνωσιν τῆς ἀναλογίας κατεπείγοντα) antecedant. Aliter biographus: neque enim credendum est, definitionem nude canonibus praepositam fuisse. Quare arbitror hanc rem ita sese habuisse: initio totius operis Herodianus imperatorem allocutus est, huius ipsius admonitu tantam rem aggressus, eique Catholicam dedicatam fuisse probabile est (atque hoc est προοίμιον quod dicit biographus), dein aptissime omnium primum suam prosodiae definitionem protulit, explicationem addidit (haec enim nullo modo potuit omitti [1]), priorum definitiones recensuit refutavitque; denique operis sui magni et difficilis rationem consiliumque exposuit, simul in priorum de prosodia commentariis multa desiderari comprobavit.

Digesta fuit Catholica in viginti libros, ac iam ex hoc numero colligi potest, quanto copiosius opus Herodianeum prioribus fuerit: Apollonius certe de prosodiis quinque tantummodo libris egit. Ac multo maxima quidem Catholicae pars, undeviginti priores libros dico, doctrinam de accentibus continuit. Quae qua ratione in universum disposita fuerit, perspicere licet iamque dudum est perspectum ex epitoma illa, quae Arcadii nomen prae se ferens ad nostram aetatem pervenit [2]). Hanc enim, quamvis male neglegenterque confectam [3]) atque insuper librariorum culpa erroribus, lacunis, additamentis turpissime nunc vitiatam, tamen ordinem librorum Catholicae accurate servasse iis locis, quibus integrum opus citatur, evincitur neque, opinor, ab ullo viro docto negatur. Illud quoque nemo non videt, in ordinandis unius terminationis vocabulis ordinem earum literarum, quae termina-

---

[1]) Etiam in Apollonii de pronomine libro definitionem explicatio sequitur p. 270.

[2]) V. Schmidt, Beitr. p. 584. Ztschr. f. d. GW. 15 p. 348.

[3]) Cf. Lehrs ad Mon. 40, 16. 43, 34.

tionem praecedunt plerumque servatum esse, quamquam ordo singulorum canonum in epitoma haud semel est perversus. — Maioris momenti ad perspiciendam Catholicae dispositionem ea quaestio est, num tota canonum forma in epitoma eadem sit quae apud Herodianum fuerit. A. Schmidtius enim (üb. d. d. Ark. beigel. Schr. περὶ τόνων p. 3) censuit, opus Herodianeum ita fere institutum fuisse, ut semper priore loco omnia vocabula, quibus eadem terminatio idemque syllabarum numerus esset, quasi uno canone vel potius una complurium canonum copulatione comprehenderentur, tum omnia horum canonum exempla et exceptiones sequerentur. Quae scribendi ratio quantam effecerit molestiam atque incommoditatem apparet; ac recte profecto tum fecissent posteriores grammatici, quod neglecto Herodiani exemplo faciliore modo canones conficerent. Permoverunt autem Schmidtium ad illam sententiam proponendam haec verba in epitomae prooemio exstantia, quae ut facilius de iis disputari possit in tres partes dividam: 1. ἐπεὶ γὰρ τὸ πολύυλον τῶν ὁρισμῶν ἐν πολλοῖς κανόσιν ἀθρόως κείμενον δύσληπτα ἦν, καταδιῃρέθη τοῦτο, ἵν' εὔληπτα γένηται διαιρεθέντα (τὰ add. M. Schmidtius) ὑφ' ἓν κείμενα τῷ Ἡρωδιανῷ· τὸ γὰρ ἅμα γένος εἶδος σχῆμα κατάληξιν παράληξιν ἀρχὴν χρόνον στοιχεῖον πάθος παρατηρεῖν, καὶ ὅσα ἄλλα, ἢ τὰ πλεῖστα τούτων, χαλεπὸν καὶ δυσέφικτον. 2. ἐφ' ἑκάστῳ δὲ τῶν τοιούτων ὁρισμῶν ἢ μὴ ἐπιπολλοῖς (ἐπιπολλῆς BC) ἅμα διὰ τῶν παραδειγμάτων εὐθὺς παράθεσις ἀπαγορεύει διάνοιαν, ὥστε ῥᾷον τοῖς ἄλλοις ἀκολουθεῖν. 3. δεῖ δὲ τόν ἐφ ἑκάστου κανόνος περιμένοντας λόγον οὕτως ἔχειν αὐτὸν ἐντελῆ συναγόμενόν τε ἐκ τῶν κατὰ μέρος, ἵνα μὴ συντομία μόνον, ἀλλὰ καὶ σαφήνεια τοῖς ἐντευξομένοις ὑπάρχῃ. Et prima quidem huius loci pars Schmidtii sententiam, quoad video, nullo modo adiuvat; eius enim sensus hic est. Cum Herodianus, ut supra vidimus, in Catholica non solum prosodiarum, sed etiam generum terminationum ceterorumque ὁρισμῶν rationem habuisset eaque omnia fuse exposuisset, id autem epitomatoris ingenio non sine causa δύσληπτον videretur, totam materiam in duas partes divisit (καταδιῃρέθη τοῦτο). Quarum unam, quae erat de solis prosodiis doctrina, breviter reddidit, omissis doctis Herodiani disputationibus aliisque quae non prorsus necessaria videbantur: quod ipse

postea indicat (συντομίας χάριν κτλ); alteram omnino non curavit. Sane non eleganter hanc suam excerpendi rationem verbis expressit; id autem minime mirandum, cum totum quo utitur scribendi genus miserrimum sit. Neque aliud, opinor, tertio enuntiato dicere voluit; etiam certius id affirmarem, si aptissima M. Schmidtii coniectura περιτέμνοντας pro περιμένοντας (hoc enim sensum non praebet) ut scribatur proponentis librorum auctoritate niteretur. Denique etiam ex altera loci particula quidquam colligi posse nego: nam primum verbis ἡ μὴ ἐπὶ πολλοῖς — παράθεσις quemquam (vel magistellum nostrum) significare voluisse, exempla canonibus non statim fuisse addita, concedi nequit. Lentzius scribendum esse putavit ἡ μὴ ἔτι πολλὴ ἅμα δοκίμων παραδειγμάτων (Phil. 19 p. 436); qua mutatione sane violenta sensum a tradita lectione diversum ac prorsus aptum nanciscimur. Sed id in medio relinquo; etiamsi enim A. Schmidtius probare posset, eum sensum quem supra dixi in tradita scriptura inesse, tamen ad suam de Catholica sententiam confirmandam nihil probaret. Nam propter amplos excursus persaepe sane accidere potuit, ut singula exempla longe a suis canonibus amota epitomatoris ingenio difficultates pararent (ἀπαγορεύει διάνοιαν). Maneamus igitur in ea sententia, quae et simplicissima est et una ipsi rei convenit: in Catholica quoque exempla suis quibusque canonibus statim addita fuisse, quamquam eorum series non, ut in epitoma, una atque continua, sed disquisitionibus interrupta erat.

Cum autem, ut nunc res sese habet, summa totius fere de Catholica disputationis posita sit in ea quaestione quae est de hac epitoma Arcadii nomine vulgo significata, iam haec nobis aggredienda est. Ac summum ad eam afferunt momentum Constantini Lascaris testimonia. Is epitomam libri XVI Catholicae confecit, quae invenitur in duobus quoad ego scio codicibus, Matritensi uno (Iriarte p. 189 sqq.), altero Hamburgensi, e quo Classeni Lentziique curis edita est (Phil. 23. p. 164 sqq.). In qua componenda Lascarem ipso Herodianeo opere usum fuisse Lentzius pro certo habet (p. 162), nullo verbo quo hanc rem probabilem redderet addito; quod ego summo opere miror. Quid? ingens illud opus ingenti doctrinae apparatu instru-

ctum[1]), quod Byzantinorum opera sexcenties sine dubio excerptum atque in angustum denuo coactum esse ex ipsa re apparet, tot epitomatorum manibus quasi restitisse ac per tredecim saecula durasse? Nescirem profecto, si hoc ita sese haberet, utrum magis id ipsum nobis mirandum esset an dolendum, quod tam recenti tempore literae Graecae summum illud detrimentum cepissent.

Num vero ipse Lascaris se Catholicam vidisse dicit? Verba eius, quae de Herodiano profert in epistola ad Ximenem epitomae praemissa haec sunt: μεθ'ὧν (sc. παμπόλλων θαυμασίων) καὶ τὸ περὶ τόνων τὴν μεγάλην φημὶ προσῳδίαν ἐκείνῳ ἐπέγραψεν ἐν βιβλίοις εἴκοσι, βίβλον πολύστιχον, ἣν μετὰ ταῦτα Θεοδόσιος ἐπιτεμὼν τόν τε ἀριθμὸν τῶν βιβλίων τό τε μῆκος ἐφύλαξε, διὰ τὸ μὴ οἷόν τε βραχίστην ἐπιτομὴν τὴν βίβλον δέξασθαι [2]), καὶ μάλιστα ἐν τῷ τῆς ὀνοματικῆς τόνῳ πολυποικιλωτάτῳ ὄντι ταῦτά τοι καὶ αὐτὸς πολλάκις προθυμηθεὶς βραχῦναι οὐκ ἐποίησα, ἵνα μὴ πάθω ταὐτὸ ἐνίοις, οἳ συντεμόντες ἔδοξαν σταγόνα ὕδατος τοῦ Νείλου ἀρύσαι. τὸ δὲ ἑκκαιδέκατον συντεμὼν τε καὶ συντάξας κατὰ τὰς τέσσαρας συζυγίας τῶν νεωτέρων ἔπεμψά σοι κτλ.

Summa rei pendet a ταῦτα vocabulo, quod cum Lentzius sine ulla dubitatione ad Herodianum referat, Theodosii epitomam significare iam multo ante Prellerus (quaest. de hist. gramm. p. 14) vidit; ac si illud statuamus, ipsam Catholicam, si hoc, eius epitomam a Theodosio factam Lascaris excerpsit. Prelleri autem sententia iam propterea probabilior est, quod ea quae praecedunt verba non de Herodiano sed de Theodosio agunt. Plus autem momenti comparationi illi epitomae cum gutta ex aqua fluminis hausta tribuo. Ea enim intellegi non posset, si ad epitomam ex ipsa Catholica factam pertineret; in hac enim satis doctrinae remanere potuit. Sin vero de Theodosio in angustum contracto Lascaris cogitavit, ὑπερβολικῶς quidem, neque tamen inepte locutus est; nam perexiguam

---

[1]) Cf. Lehrs Her. p. 420 sq. Lentz, Phil. 19 p. 112.

[2]) In his verbis haec sola sententia inesse potest: Theodosii opus, quamquam epitomam tantum Catholicae, tamen et ipsum sat amplum esse volumen; quamquam illud τό τε μῆκος ἐφύλαξε mire sane dictum est.

sane Herodianeae doctrinae particulam tali epitoma contineri ipsa illa docent quae ex libro XVI. Lascaris profert.

Sed haec res quo modo comparata sit, examinatis aliis exploratum habere licet. Lascaris enim in fine libri tertii grammaticae, quo libros ad grammaticam Graecam ediscendam necessarios enumerat, inter eos commemorat τὸ περὶ τόνων Ἡρωδιανοῦ καὶ Θεοδοσίου, ὃ συνέτεμον ἐν βραχεῖ. Atque hoc quidem luce clarius; neque enim Lascaris, cum Herodiani et Theodosii opus se in breve contraxisse affirmet, ipsam Catholicam dicere potest, sed epitomam eius a Theodosio compositam. Sed, quod longe gravissimum est, is ipse Lascaris commentarius e Theodosio haustus exstare dicitur in Iriarti catalogo codicum Matritensium p. 191. In codice enim CXXXVII. Lascaris manu scripto atque eodem illo quidem quem supra dixi, praeter alia opuscula grammatica hoc inest: „uberior commentarius, quippe folia implens LXI, in multiplices tributus sectiones atque ita inscriptus: περὶ τόνων εἰδικῶς τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου.“ Commentarium sequitur Lascaris epilogus quem totum exscribo: καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῶν τόνων τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου ἐκ τῶν τοῦ Θεοδοσίου τοῦ γραμματικοῦ, ἃ Κωνσταντῖνος ὁ Λάσκαρις συνετάξατο δι' ὠφέλειαν τῶν μαθητῶν, ἐπεὶ ἡ τοιαύτη πραγματεία οὐ μόνον δύσκολος τυγχάνει, ἀλλὰ καὶ δυσκολώτατα εὑρίσκεται διὰ τῆς δυστυχίας τοῦ γένους. πολλὰ γὰρ πονήσας μόλις εὗρον τὸ περὶ τόνων τοῦ Θεοδοσίου ἐν βίβλῳ παλαιᾷ τῆς μονῆς τοῦ σωτῆρος τῆς ἐν τῷ ἀκρωτηρίῳ τῆς Μεσσήνης· τὴν δὲ τοιαύτην πραγματείαν ἐκεῖνος συνέτεμε ἐκ τῆς μεγάλης προσῳδίας τοῦ πολυμαθοῦς Ἡρωδιανοῦ· οὗ καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν βιβλίων εἴκοσι ὄντων ἐφύλαξεν. ἔρρωσθε οἱ ἀναγιγνώσκοντες καὶ συνεύχεσθε τὰ βελτίω. ἐν Μεσσήνῃ τῆς Σικελίας μηνὸς Νοεμβρίου κε' ἔτει ἀπὸ θεογονίας αυπῃ N. η'. τῷ θεῷ χάρις. Hoc autem commentario epitomam illam libri XVI. Catholicae denuo contineri Iriartus disertis verbis affirmat. Quod si verum est (neque ego cur pro falso habendum sit ullam causam video) haec efficiuntur. Invenit Lascaris Messinae epitomam Catholicae [1]), quam aut in codice Theo-

[1]) Reputet Lentzius, num ullo modo cogitari possit eum, qui Catholicam integram haberet, tantam operam impendisse ut reperiret eius epitomam.

dosio adscriptam esse vidit aut ipse alias ob causas Theodosio tribuit. Eius igitur epitomae primum nihil nisi librum XVI., postea totam in brevius contraxit. Hoc addo, codicis ordinem in tractandis nominibus ab eo, ut videtur, mutatum esse: in Lascaris enim epitoma primo loco de nominibus non in *αν* sed in *ας* exeuntibus agitur; alterum autem in Catholica factum fuisse ex Arcadio scimus.

Iam vero his omnibus reputatis quid de Arcadio iudicandum sit videamus. Neque id difficile est intellectu. Cum enim Lentzius summo iure dixerit (quod quidem unum quemque statim concedere oportet), Lascaris epitomam libri XVI. ex eodem fonte fluxisse e quo Arcadii liber fluxit, illam vero epitomam e Theodosio haustam esse viderimus, quid inde aliud consequitur nisi Arcadium quoque Catholica usum fuisse iam non integra, sed in angustum contracta? Atque id quo usus est Theodosii exemplar aut ex eodem illo fluxit, quod Lascaris Messinae invenit, aut ex libro illius persimili; utramque enim epitomam iisdem nonnunquam vitiis laborare Lentzius animadvertit. Neque ego video, quid sententiae nostrae cum aliqua demonstrandi vi opponi possit. Imo etiam ex indole ipsius epitomae tanta neglegentia inscitiaque confectae probabilius esse videtur, auctorem eius non talem fuisse, qualis ipsum Herodianeae doctrinae fontem adire posset. Verba quae in codice Havniensi libro primo praeposita sunt (*κανόνες τῆς καθολικῆς προσῳδίας τοῦ σοφωτάτου Ἡρωδιανοῦ οὓς περιέτεμε Θεοδόσιος ὁ γραμματικὸς φυλάξας τὸν ἀριθμὸν τῶν βιβλίων*) fortasse transscripta sunt ex maiore epitoma; neque ullo modo ex iis sequitur, ipsum Theodosium nostrae epitomae scriptorem aut existimatum fuisse aut re vera fuisse. Ea vero quae in eodem codice ante prologum legimus (*πρόλογος* οἶμαι *Θεοδοσίου εἰς τοὺς κανόνας τῆς καθολικῆς προσῳδίας τοῦ σοφοῦ Ἡρωδιανοῦ*), opinione nituntur eius qui primus haec verba adnotavit. Forsitan aliquis putet, hunc ipsum fuisse Lascarem. Eius enim manu, ut erat vir in describendis libris *χαλκέντερος*, scripta in bibliotheca Matritensi praeter epitomam, quam ipse ex Theodosio confecit, alia exstat, Havniensi libro, ut videtur, simillima ac prorsus eodem modo Theodosii nomine bis significata (Ir. p. 141 sqq.). Neque

tamen ex hoc codice Havniensis descriptus est, quod ex ultimis Matritensis verbis ab illo discrepantibus intellegetur; sunt enim haec teste Iriarto: τὸ νὴ καὶ τὸ μὰ βαρύνονται. τὸ μῶν ἐρωτηματικὸν ὂν ἀεὶ περισπᾶται. Quae cum ita sint, apparet, Theodosii nomen Lascarem non ipsum addidisse, sed in eo libro quem descripsit (quemque etiam Havniensis codicis librarius descripsit) invenisse.

Sed quicunque fuit, qui primus Theodosii nomine prologum inscripsit, utrum re vera a Theodosio an ab Arcadio [1]) prologus compositus sit, mihi non constat; neque sane magni momenti haec quaestio est. Paucissima illa, quae scriptor prologi ex Herodiani opere se praestiturum profitetur, minus de maiore quadam epitoma, quam de ipso quod sequitur opere valent. Quod autem ita loquitur iste grammaticus, quasi ipsam Catholicam ante oculos habuerit, ostentationi cuidam doctrinae tribuo nec magni faciendum esse censeo. Ultima verba εἰ δέ τι [2]) συντομώτερον τοῦ πρὸ ἡμῶν ἐπειγομένου πεποιήκαμεν, ὥσπερ ἐζήτησας κτλ. maiore fortasse iure ad Theodosium quam ad Herodianum referuntur. Id vero (si hoc statuimus) mirari me fateor, quod de Catholicae prooemio pauca ea quae supra attuli aliunde non nota commemorantur; sed conicctare licet eadem a Theodosio adnotata aut ex alio libro comperta fuisse. — Ab altera parte cogitari potest, Theodosium disquisitiones de dubiis rebus factas (τὸ διὰ ζητήσεως κανονίζειν), multorum locorum copiam (ἡ τῆς χρήσεως αὐτῶν πολλὴ παράθεσις), rarorum vocabulorum explicationes (ἡ περὶ τῶν ἀγνοουμένων ἐν αὐτοῖς ἐξήγησις) etiamsi plurimas, tamen non omnes emisisse parvaeque earum partis summam breviter adnotasse. Quid quod ne in Arcadio quidem nostro talia prorsus desunt; cf. p. 25, 14 τὸ δὲ δεσπότης ἀρσενικόν, τὸ δεσπότις θηλυκόν. 32, 14 καὶ τὸ βάλλις δὲ βαρύνεται (εἶδος ἄνθους, ὃ δοκεῖ ποιεῖν ἀναζῆν τὸν νεκρόν). 39, 19 τὸ μέντοι ταός παρ' Ἀλεξανδρεῦσιν ἀντὶ

---

1) Brevitatis causa, non quia haec nomina certa esse mihi videntur, in sequentibus Arcadium nostrae epitomae scriptorem dico, Theodosium eum, quo et Lascaris et ipse Arcadius usi sunt.

2) Id enim deteriorum librorum scripturae δέ τὸ praeferendum esse mihi videtur: num quid effecerimus quod brevius sit etc.

τοῦ ταῶς σεσημείωται· τὸ δὲ λᾶος παρὰ Σοφοκλεῖ ἀπὸ γενικῆς εἰς εὐθεῖαν μετεποιήθη. 51, 18 τὸ μάργος σύνθετον ἀπὸ τοῦ μα στερητικοῦ καὶ τοῦ ἔργον· ὁ γὰρ μάργος οὐδὲν ἀγαθὸν ἐργάζεται. 60, 9 βίλλος (τὸ ἀνδρεῖον αἰδοῖον, τὸ κοινῶς βιλλίν παρ' Ἐφεσίοις). 18 ὄκταλλις (ὁ ὀφθαλμὸς παρὰ Βοιωτοῖς) [1]. Sed quicunque prologi auctor fuit, hoc contendo: nisi epitomam maiorem quandam (fortasse non multo maiorem) a minore Arcadii diversam esse censemus, Lascari vana atque inutilia mendacia tribuamus necesse est.

Multo certius quam de praefatione iudicare possumus de indice viginti librorum, qui eam in codice Parisino 2102 praeit, in Havniensi, Matritensi, Parisino 2603 sequitur. Hunc enim non Arcadii quam nunc habemus, sed Theodosii epitomae aut (quod in hac re idem valet) ipsi Catholicae destinatum fuisse, duas ob causas apparet. Ac primum quidem quatuor illorum Arcadii capitum, quae ad ea quae obtinent loca non pertinere constat (p. 159 περὶ τῶν ἐγκλινομένων μορίων . p. 162 ἔτι περὶ τῶν ἐγκλινομένων . p. 211 περὶ τῆς τῶν τόνων εὑρέσεως κτλ. p. 216 περὶ προσῳδιῶν, in indice ratio non habetur. Tum autem quae libro quinto decimo contineantur argumentum nostrum ita enumerat: *τὸ δέκατον πέμπτον τὰς πλαγίας τῶν ὀνομάτων κανονίζει καὶ τοὺς κατὰ κλίσιν ἀριθμοὺς καὶ τοὺς κατὰ θέμα εἰρημένους.* Quorum verborum postremis nihil significari posse nisi nomina numeralia certis, ut mihi videtur, argumentis evicit A. Schmidtius (Beitr. p. 585 sq. Ztschr. f. d. GW. 15 p. 323 sqq.), cui postea Lentzius astipulatus est (Phil. 19 p. 111). Ac sane permirum esset, si Herodianus in universali ut ita dicam Prosodia illud nominum genus prorsus omisisset. Sed in Arcadio nostro leges de numeralium accentibus frustra quaeres, neque quidquam ad refutandam hanc rem loci a M. Schmidtio allati (Phil. 15 p. 513) faciunt: nam ἕξ ἑπτά ἐννέα non propter accentus sed propter spiritus commemorantur.

---

[1] Afferri ad comprobandam hanc de qua loquor sententiam hoc quoque potest. Inter ea, quae sibi omittenda esse epitomator censet, est τὸ πολὺ πλῆθος τῶν *παραδειγμάτων*; sed longe abest ut omnia exempla omittat. Quid igitur si in locis quoque afferendis (ἡ τῆς χρήσεως αὐτῶν πολλὴ παράθεσις) res eodem modo esse habet?

Itaque ex hac quoque re apparet, indicem ab eo, qui nostram epitomam aut confecit aut descripsit, ex integriore libro esse sumptum.

Indicem in libris excepto Parisino 2102 brevis adnotatio de alio quodam Herodiani libro sequitur, quam aeque atque indicem e maiore epitoma huc translatam esse probabile est. Ea verba, quibus refertur quae liber ille continuerit, mutata interpunctione ita legenda esse censeo: ἐπὶ δὲ τοῖς εἴκοσι ἐν ἄλλῳ βιβλίῳ τὸ ἀναγνωστικὸν εἶδος κατὰ τὴν σύνταξιν τῶν λέξεων παραδέδοται, ἀκολούθως μετὰ τὴν δήλωσιν τῆς καθ' ἑκάστην προσῳδίαν γινομένης διδασκαλίας [1]), περὶ διαστολῆς καὶ συναλοιφῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν παρακολουθούντων τῇ ἀναγνώσει. Verba ἀκολούθως — διδασκαλίας significant: explicatis iis, quae ad doctrinam de una quaque prosodia, id est de unius cuiusque vocabuli prosodia; quae ab epitomatore Byzantino satis male ac neglegenter expressa esse iam non miraberis. Ut vero nunc locus legitur (commate post διδασκαλίας non posito) sanam rationem desideramus; nam cum ἡ διδασκαλία περὶ τῶν παρακολουθούντων τῇ ἀναγνώσει idem sit quod τὸ ἀναγνωστικὸν εἶδος, dictum esset, post illam doctrinam traditam esse eandem doctrinam. — Quid ἀναγνωστικὸν εἶδος κτλ. significet, facile intellegitur; sunt enim eae accentuum mutationes, quae e verborum coniunctione oriuntur. Itaque doctrina illa duas res tractavit: primum omnia ad ἐγκλινόμενα quae dicebant pertinentia, dein praepositionum ἀναστροφήν. His autem adduntur διαστολή et συναλοιφαί quasi et ipsae ad ἀνάγνωσιν spectantes. Ac διαστολή quidem sive ὑποδιαστολή id πάθος est, quod ad duarum literarum aut vocularum disiunctionem attinet, veluti (ut exemplis utar) cum disceptetur, utrum scribendum sit ἔστιν ἄξιος an ἔστι Νάξιος, vel cum statuatur, scribendum esse δουρὶ κλυτός, non δουρίκλυτος. De hac autem re in opere prosodiaco actum fuisse non miraberis, in memoriam revocatis iis, quae supra (p. 7) de tractandae huius grammaticae partis ratione disputata sunt; nisi quod id tantum

---

1) Ita enim recte A. Schmidtium pro προσῳδίας γινομένην διδασκαλίαν scripsisse (Beitr. p. 582) neque alia ratione locum expediri posse mihi persuasum est.

διαστολῆς genus, quod altero exemplo significavi (cuius proprium nomen διάλυσιν sive παράθεσιν fuisse Lentzius p. 114 adnotat) in nostro libro leges ad universum spectantes continente locum habuisse videtur, cum prius (διάστασις sive διαίρεσις) certis quidem locis summi sit momenti (et in Prosodia Iliaca de talibus locis nonnunquam agitur [1]), a legibus autem abhorreat. In eo autem Lentzius mirum quantum errasse mihi videtur, quod nostro loco διαστολῆς vocabulo interpunctionem quoque contineri dicit; nec satis intellego, quid ad hanc sententiam comprobandam locus e Prosodia Il. ad Α 63 allatus valeat. Herodianum enim in Prosodia Homerica de interpunctione quasi prosodiae parte egisse, inde non consequitur; de qua re supra (p. 8) dixi. Si autem id tantum Lentzius in universum comprobare vult, voce illa interpunctionem quoque significari posse, ad nostram quaestionem nihil probavit; neque enim omnes διαστολῆς vocabuli significationes huc pertinere necesse est. Omnino autem, si rem ipsam spectamus, minime est probabile, Herodianum in eo de quo agimus libro (quem, si non partem Prosodiae Catholicae, at certe quam artissime cum ea coniunctum fuisse claret) interpunctionis rationem habuisse. Neque enim ea tam saepe cum prosodia necessario coniuncta apparet quam πάθη neque ab ullo quem memini grammatico, cum de prosodiis agitur, commemoratur; accedit quod, si Herodianus, quo omnium maxime posteriorum temporum grammatici utebantur, interpunctionem tractasset, magnopere esset mirandum, nullum ac ne minimum quidem vestigium huius doctrinae ad nostram aetatem pervenisse. — Συναλοιφῶν voce id significari quod διαστολῇ oppositum sit, A. Schmidtius (Ztschr. f. d. GW. 15 p. 349) et Lentzius (l. c. p. 114) viderunt. Ac de quanam διαστολῇ hic cogitandum sit, dixi; cui respondet id quod Herodianus semel συνάπτειν, plerumque ὑφ᾽ ἓν ἀναγινώσκειν verbis significet; cuius πάθους nota a posterioribus grammaticis adhibita ὑφέν appellabatur [2]). Praeterea cum ea duorum vocabulorum iunctio,

---

1) Cf. locos p. 7 adn. allatos.

2) Bekk. An. p. 674, 8 ὑφὲν ὡς πασιμέλουσα; et ita saepe.

quam vulgo κρᾶσιν dicimus, ab optimo tractatus περὶ προσῳδιῶν scholiasta et συναλοιφή appelletur et eidem illi πάθει quod est ὑφέν adnumeretur [1]), nec non in Prosodia Iliaca tractata inveniatur eodemque nomine appelletur (velut ad A 277. N 377. 520. Σ 458), haec quoque illa συναλοιφῶν voce contineri atque, quando et qua ratione adhibenda sit, in libro nostro doctum fuisse videtur. Denique autem rectissime A. Schmidtium eam quoque quae est de apostropho doctrinam eidem libro vindicasse arbitror. Hoc enim iam analogia probabile fit, cum duo praeter apostrophum πάθη exposita invenerimus; praeterea apostrophum genus συναλοιφῆς esse scholiasta supra citatus docet (p. 697, 23); denique hanc ipsam rem Herodianus omnium saepissime συναλοιφήν appellat: cf., ut pauca eligam, ad A 335. Z 239. I 540. M 391 [2]). — Id ambiguum est, utrum liber ultima Catholicae pars an singulare opus fuerit; atque hoc iam ei cui totam notitiam debemus ambiguum fuisse, ostendunt haec ipsa eius verba ἐπὶ δὲ τοῖς εἴκοσι ἐν ἄλλῳ βιβλίῳ τὸ ἀναγνωστικὸν εἶδος κτλ. παραδέδοται. Apparet id tantum, ei Catholicae exemplari, quo idem ille grammaticus usus est, hunc librum additum fuisse, elucetque e rei natura, id non semel esse factum. Ex eo vero quod Ioannes Alexandrinus in prooemio libelli sui λόγον περὶ συντάξεως ad prosodiarum doctrinam excolendam permultum valere docet (p. 4), Lentzium quidquam vel coniecisse miror: in eodem prooemio orthographiam quoque magni momenti esse Ioannes commemorat, sed quis Orthographiam pro Catholicae parte habere auserit?

Iam igitur de Catholicae libro XXI. (utor hac appellatione brevitatis causa) expositis quae mihi vera esse visa sunt, ad aliud disputationis nostrae caput transeo, quod cum hac quaestione artissime cohaeret. Examinandae enim sunt eae Arcadii partes, quas non e Catholica excerptae, sed ab epitomatore

---

1) p. 702, 17 ὑποτακτέον δὲ τῇ ὑφὲν καὶ τὰ ἐν συναλοιφῇ λεγόμενα, οἷον κἀγώ.

2) Vides igitur, apte διαστολῆς singulari, συναλοιφῶν plurali numero esse scriptum. — Sine dubio hoc tractatu usus est Philippus cum περὶ συναλοιφῆς commentaretur, idem ille qui περὶ πνευμάτων ἐκ τῶν Ἡρωδιανοῦ κατὰ στοιχεῖον scripsit (Suid. s. v.).

aliunde in epitomam inlatae sunt; quae res quo magis a viris doctis iam est probabiliter tractata, eo brevius hoc loco absolvi potest. Incipio a certis. Capiti περὶ χρόνων satis mire (cum et τόνοι et χρόνοι prosodiae sint) praemissus est tractatus περὶ προσῳδιῶν (p. 216 sq.): atque is est fere idem, quem ad supplendam Dionysii Thracis grammaticam compositum esse in initio libelli nostri diximus; hunc vero ab Herodiano non profectum esse cum scholiastae testimonio ad Theodosium aut ad Gregorium eum referentis comperimus, tum inde apparet quod contra definitionem Herodianeam hoc loco πάθη proprie prosodiis adnumerantur. Praeterea in fine libri XV. duo capita περὶ τῶν ἐγκλινομένων μορίων et ἔτι περὶ τῶν ἐγκλινομένων inscripta leguntur; quae cum de una eademque re agant, alterum saltem eorum ex Catholica profectum non esse elucet. Quis enim unquam eandem rem eodem loco bis tractavit? — Atque id quod ex his duabus rebus sequitur, sat gravis est momenti. In universum enim hoc videmus, quod statim in initio edixi, esse quaedam in Arcadii epitoma, quae non e Catholica sumpta, sed aliunde invecta sunt.

Sed ultra progrediendum est quaerendumque, num omnino veri simile sit, vel unum duorum illorum de encliticis capitum e Catholicae libro XV. esse sumptum. Atque eo quidem Herodianum de encliticis libro XXI. commentatum esse vidimus, certi quidem nihil efficitur, quia is liber ad Catholicam fortasse non pertinuit. Tamen reputes quaeso, num probabilitatis speciem habeat, Herodianum in duobus his operibus, si non inscriptione, at certe ipsius rei natura arte coniunctis, uni eidemque rei singula capita destinasse. Multo autem maiorem suspitionem locus, quem capita obtinent, movet. Si Herodianum in Catholica de encliticis egisse statuimus, id apte facere non potuit nisi absolutis omnibus orationis partibus, in quarum quinque inveniuntur enclitica quaedam. Cur autem ex libro XV. iam satis amplam doctrinae materiam continenti tribuerit atque hoc modo totius de accentibus operis ordinem ceteroquin diligentissime observatam turbaverit, causa intellegi nequit [1]). His igitur consideratis

[1]) Eas huius rei causas, quas M. Schmidtius (Phil. 15 p. 513) inve-

constare mihi videtur, Herodianum in libro XV. de encliticis non commentatum fuisse, de qua re A. Schmidtius (Beitr. p. 586. Ztschr. etc. p. 339 sqq.), M. Schmidtius (ad Arc. p. 159, 4), Lentzius (Phil. 19 p. 115) consentiunt. Simulac vero hoc concessum est, ex eo, quod apud Arcadium excerpta illa leguntur, de Herodianea eorum origine quidquam concludere non licet. Unde enim scire possumus, utrum is qui excerpta in epitomam intulit ex Herodiani libro XXI. aut ex alio eiusdem scriptoris libro hauserit necne? Sed si locus duorum excerptorum nihil nos docet, ex ipsa re summa cum probabilitate consequitur, originem eorum esse Herodianeam cum omnia, quae de accentu Byzantinis temporibus docebantur scribebanturque, ad Herodianum redire constet. Accedunt duo alii de encliticis tractatus, quorum alter, Αἰλίου περὶ ἐγκλινομένων λέξεων (Bekk. p. 1157 sq.), fere congruit cum altero eorum quos Arcadius habet; prior quoque, Ἡρωδιανοῦ περὶ ἐγκλινομένων καὶ ἐγκλιτικῶν καὶ συνεγκλιτικῶν μορίων (Bekk. p. 1142 sqq.), nihil fere habet quod huic repugnet (cf. Lentz p. 116). Itaque hoc dici potest: eà quae Herodianus Catholicae libro XXI. docuerat, iterum atque iterum variis rationibus decurtata et in angustum contracta, postremo ad eam brevem exilemque formam redacta erant, quam unum quodque quatuor vel potius trium excerptorum illorum praebet; quibus addi possunt Ioannis Characis de encliticis libellus (Bekk. p. 1149 sqq.) duoque alia de eadem re commentariola, brevissima ac vix digna commemoratione (Bekk. p. 1155 sqq.); eiusdem generis etiam plura quin in bibliothecis lateant, nullus dubito. Quorum autem opera duo huius modi excerpta in Catholicae epitomam sint inlata, ad liquidum perduci vix poterit: unum eorum aut utrumque, quale nunc est, ex ipso libro XXI. in breve contractum esse nullis aliorum epitomatorum manibus, intercedentibus, argumentis demonstrari nequit neque ullam habet probabilitatem.

In fine libri XVIII. (p. 204) postquam simpliciter dictum est, quaenam duodeviginti praepositionum sint ὀρθοτονούμεναι

---

nisse sibi visus erat, eo magis omittere possum, quia ipse Schmidtius postea sententiam mutavit.

quaenam ἐγκλινόμεναι καὶ ἀναστρεφόμεναι, sequitur praepositionum enumeratio, qua de hac ipsa differentia iterum docemur, praeterea additur, quibuscum casibus una quaeque praepositio coniungenda sit. Itaque in hac enumeratione id quod ad prosodiam pertinet, inutiliter repetitur; id quod additur, ad prosodiam non pertinet. Quare eam quoque epitomae partem non esse pro certo habeo. Et est sane eius modi haec lacinia, ut a quovis magistello scribi potuerit, nimiumque honoris ei tribueremus, si eam e Catholicae libro XXI. petitam esse arbitraremur. Et in hoc quidem Herodianum de praepositionum anastropha accuratius commentatum fuisse, ex argumento eius libri, de quo dixi, elucet. Cur autem arbitremur, eum etiam in libro XVIII. (praeter illam quam etiam Arcadius praebet commemorationem) quidquam de hac re docuisse, nullam ac ne minimam quidem causam video. Sed audiamus Lentzium, qui illud probabilius esse putat (p. 113), cum Ioannes Alexandrinus, ubi de praepositionibus, etiam de earum anastropha commentetur (p. 26 sqq.), haec autem tota disputatio talis sit, ut de unius partis transpositione non cogitandum esse videatur („da die Darstellung in sich so zusammenhängend ist, dass sich eine Versetzung nicht erkennen lässt"). Atque ante omnia hoc dicendum est, ex Ioanne Alexandrino, quamquam in singulis eius libellus ad supplendum Arcadium apte adhiberi potest, de rerum dispositione, qua Herodianus in universum usus erat, prorsus nihil nos concludere debere; quae res (ut unum afferam) aperte iam eo demonstratur, quod, cum Herodianus de monosyllabis libro XIV. egerit, Ioannes ab iis incipit (p. 7). Quod vero Lentzius de genere disputationis protulit, praecise nego. Joannes enim, ubi causam appellationis (διὰ τί προθέσεις εἴρηνται) exposuit, statim nulla transgressione usus de anastropha ita agere incipit: ἐὰν μεταξὺ πέσωσιν ὀνόματος καὶ ῥήματος ἢ μετοχῆς, πρὸς διάφορον σημασίαν ἢ ἀναστραφήσονται ἢ οὒ κτλ. Quibus si αἱ προθέσεις verba praecessisse posueris, habes singularem de anastropha tractatum, quem Ioannes unde unde sumptum decurtatumque satis apte huc inseruit. Atque is tractatus quin e Catholicae libro XXI. fluxerit, non dubito; qua autem ratione at-

que per quot manus inde fluxerit, in incerto nobis relinquendum est.

Caput περὶ τῆς τῶν τόνων (accuratius dictum esset τῶν προσῳδιῶν καὶ στιγμῶν) εὑρέσεως, quod in codice Parisiensi 2102 inter et XIX. et XX. librum exstat, quin a Catholica alienum sit, dubitari meo iudicio nequit. Herodianum de talibus rebus commentatum fuisse ex tota eius scribendi ratione parum veri simile esse videtur; si autem illud fecit, meliorem certe locum sibi elegit neque tum cum ab uno prosodiarum genere ad alterum transiit de omnium prosodiarum inventione egit: potuit in praefatione, antequam priorum de prosodiis commentarios recensuit (Arc. p. 2), multo aptius illud exponere. Id quoque suspitionem quandam movet, quod tractatum περὶ τῆς τῶν τόνων εὑρέσεως sequitur caput illud περὶ προσῳδιῶν, cuius originem non Herodianeam esse constat; neque tantum in Arcadii codice Parisiensi 2102 id factum est, sed eadem haec duo capita coniuncta apparent in codice Parisiensi 2603, qui non Catholicae epitomam, sed Theodosianam quae dicitur grammaticam continet. Longe autem gravissimum argumentum in ipsis rebus nititur, quae commentario περὶ τῆς τῶν τόνων εὑρέσεως proferuntur; in quibus multa esse perversa atque incredibilia viri docti consentiunt [1]). Plura de hac re (quam a ceteris hac disputatione tractatis longe diversam esse elucet) non dico; nam libere profiteor, me non satis versatum esse in eo studiorum genere, quo opus est ad quaestionem de signorum prosodiacorum inventione accurate diligenterque instituendam.

Denique uno tantum verbo commemoro ea, quae in libro XVII. inter commentarios de verbis compositis et de particulis invecta sunt (p. 199 sq.). Quorum prior pars leges quasdam de accentibus continet vel pueris notas atque ab hoc loco alienissimas; altera repetuntur quae iam antea exposita sunt.

Iam igitur disputatis, quae de Catholicae epitoma disputanda censui, fortasse haud incommodum esse videtur, si sen-

---

1) V. Nauck Arist. Byz. p. 11 sq. A. Schmidt Beitr. p. 596 sqq. M. Schmidt ad Arc. p. 211, 7.

tentiam meam in pauca contractam repetam [1]). Herodiani igitur Catholica a Theodosio quodam incerto tempore in angustum coacta est. Postea autem, saeculo, ut arbitror, quarto decimo aut quinto decimo, hanc epitomam grammaticus quidam, cuius nomen Arcadium fuisse cur libris non credamus causam non video, ad brevem eius quam nunc habemus epitomae formam redegit, exemplari usus minime bono, sed vitiis scatente; librariorum manibus, opinor, epitoma per temporum decursum iam satis decurtata erat, ut quae Arcadius omittere posset non multa essent. Ei codici quo Arcadius usus est similis fuit vetus ille liber, a Lascari Messinae inventus atque in epitomae formam contractus.

Sed prospera fortuna factum est, ut una saltem Catholicae pars multo integrior ad nos pervenerit quam cetera, epitomis tantum fragmentisque nobis cognita. Herodianum enim XX. Catholicae libro de vocalium quantitate et de spiritibus egisse constat et ex argumento epitomae praemisso et ex ipsis quae Arcadius praebet excerptis (p. 217 sqq.), denique e locis quibusdam ad librum illum spectantibus [2]). Caput autem περὶ χρόνων τῶν ἐν φωνήεσι, cum η et ω literas longas, ε et ο breves esse constaret [3]) eaeque amplioris commentationis ansam non praeberent, de solis fere α ι υ vocalibus, quae a grammaticis δίχρονα appellabantur, agere potuit. Itaque cum sciamus, partem Catholicae fuisse περὶ διχρόνων, commentationem autem περὶ διχρόνων, quae ad nos pervenit, Herodianeam esse constet (Lehrs. Her. p. 408 sqq.), cur tandem dubitamus hanc ipsam pro illa Catholicae parte habere? Atque id multo etiam certius fit comparato libro περὶ διχρόνων cum paucis brevibusque Arcadii de eadem re excerptis. Quam comparationem etiamsi iam Schmidtius in Arcadii editione instituit, tamen perspicuitatis gratia totam hic apponam.

---

[1]) Neque tamen ea, quae ad Arcadii partes a Catholica alienas pertinent, iterum commemorabo.

[2]) Schol. Il. Ω 318. Schol. Ap. Rh. A. 1294. Choer. p. 905.

[3]) Fortasse hic erat locus mirae illius quaestionis, de qua nos docent schol. Dion. Thr. p. 798 sqq. Theodos. p. 33 Goettl.

Her. 283, 11 = Arc. 218, 1.

Her. 283, 18 = Arc. 218, 4. Sed hoc loco habet quaedam Arcadius quae in tractatu περὶ διχρόνων exciderunt: commemorationem participiorum [1]), vocabuli ἱμάς et trisyllaborum ἀνδριάς ἰσοκράς ἁλικράς.

Her. 286, 25 = Arc. 218, 9.

Her. 287, 3 = Arc. 218, 11. 16, ubi ordo confunditur.

Her. 287, 17 = Arc. 218, 20. Excidit apud Herod. verborum in ύνω exeuntium commemoratio.

Her. 287, 24 = Arc. 219, 6. Excidit apud Her. doctrina de ἀγυιά et ὀργυιά vocabulis. (Ita enim Schmidtius rectissime, ut ego arbitror, emendavit quae codex habet ἀργυρὰ καὶ ἀργυρὰ).

Her. 288, 8 = Arc. 219, 11.

Her. 288, 18 = Arc. 219, 20.

Her. 290, 16. 22 = Arc. 219, 22. Canonem generalem, quem brevior harum legum forma apud Arcadium praebet (τὰ εἰς α λήγοντα θηλυκὰ παρεσχηματισμένα ἀρσενικῷ ὁμόχρονον ἔχει τῷ τέλει τῆς γενικῆς τοῦ ἀρσενικοῦ τὸ α) duobus iis, quos in tractatu περὶ διχρόνων legimus, praemissum fuisse ac postea excidisse facillime statui potest; et mihi quidem rem ita sese habere persuasum habeo, idemque censeo de πανδόκεια et βασίλεια vocularum commemoratione.

Her. 291, 5 = Arc. 220, 6. βράσσων apud Arcadium quoque exempli locum obtinere debet.

Her. 291, 19 = Arc. 220, 9.

Her. 291, 23 = Arc. 220, 11.

Her. 293, 24 = Arc. 220, 14.

Her. 295, 4 = Arc. 220, 18.

Her. 296, 4 = Arc. 220, 21.

Her. 296, 24. 297, 4 = Arc. 221, 6.

Her. 297, 21 = Arc. 221, 8, qui eundem etiam errorem exhibet; v. Lehrs ad Her. h. l.

Her. 298, 24 = Arc. 221, 13.

Her. 299, 9 = Arc. 221, 17.

---

1) De his alio connexu iterum agitur π. διχρ. 291, 4. In transcursu addo, 291, 1 scribendum esse αἱ εἰς ς λήγουσαι.

Her. 299, 20 = Arc. 221, 21.

Her. 300, 3 = Arc. 222, 1.

Duo maximi momenti sunt ad hanc quaestionem diiudicandam. Ac prius quidem id est, quod, si corruptelarum rationem non habemus, in ipsis de quibus agitur rebus nulla differentia inter epitomam et librum περὶ διχρόνων conspicitur. Excidisse sane longe plurima apud Arcadium apparet; nec liber περὶ διχρόνων integer est (Lehrs p. 408), in quo et unum canonem qui exstat Arc. p. 220, 23 et nonnulla exempla omissa esse ex Arcadio videmus: exempla enim ab epitomatore addita esse nemo putabit [1]). Semel miro modo factum est, ut in epitoma lex, in libro περὶ διχρ. exceptio servaretur (Arc. p. 221, 3, Her. 296, 17). Sed haec omnia nihil ad nos, cum hoc loco nonquid epitomatores et librarii omiserint, sed quid Herodianus scripserit curemus. — Altero loco affero, ordinem canonum in utroque libro eundem esse, exceptis duobus [2]), quos epitomatoris errore suo loco omissos postea additos esse censeo; sed quid in tanto numero duo valent? Haec autem congruentia eo gravioris momenti est, quo maiore licentia Herodianum in collocandis his canonibus usum esse videmus [3]). — Quae cum ita sint, nulla est causa, cur id statuamus, quod iis qui librum π. διχρ. partem Catholicae non esse arbitrantur, necessario statuendum est: Herodianum aut ante Catholicam compositam aut postea doctrinam περὶ διχρόνων singulari libro (atque eo quidem quem nunc habemus) nec prorsus eadem ratione tractasse.

---

[1]) Duo primi canones Arcadii p. 217, 12. 17 ad doctrinam περὶ χρόνων in universum, non ad singulare περὶ διχρόνων caput pertinent. — Exempla quae dico haec sunt: δελφίν ἀκτίν Arc. p. 217, 21. Αἰνείας 218, 2. λάγυνος 16. κερδοσύνη 22. πυρκαϊᾶ 219, 7. μνᾶ 8. ἐνέδρα 18. ὀξεῖα 24. χαρίεσσα 220, 1. Σαμία 2. πλοιάριον 10. θερινός 16. ἱστᾶσι 21. κιχρᾶσι 22. ἅμα 221, 7 (an ἀμάρα?). ἔρις Θέτις μῆνις Πάρις 14. ἔχις 15. κορωνίς 18.

[2]) Arc. 221, 10 = Her. 286, 18. Arc. 222, 3 = Her. 282, 4; huius canonis pars in libro π. διχρ. omissa est, quam librarii culpam Lentzius p. 113 ad demonstrandam duorum librorum differentiam afferre non debuit.

[3]) Lehrs p. 408: die Anordnung ist grossentheils unklar. Imo in universum dici potest, etiamsi quosdam canones inter se coniunctos esse apparet, ordinem huius libri omnino nullum esse.

Ultimum quoque Catholicae caput, quo de spiritibus Herodianus egit, non, ut XIX priores libri, ad literarum seriem, sed nullo fere ordine compositum fuisse epitoma demonstrat. Accedit quod Suidas de Philippo quodam sophista dicit (s. v.): ὁ γράψας περὶ πνευμάτων ἐκ τῶν Ἡρωδιανοῦ, κατὰ στοιχεῖον; quibus verbis probabilius fortasse fit, ipsum Herodianum non κατὰ στοιχεῖον scripsisse. Neque difficile est causam huius rei perspicere. Cum enim Herodianus in componendis prioribus libris accentuum doctrinam continentibus necessario coactus esset permulta περὶ χρόνων et περὶ πνευμάτων inserere (nam haec saepe inter se contingunt), ea quae in his libris iam exposuisset in postrema parte omnia repetere noluit, sed ea tantum ibi collegit, quae aut in illis non docuit aut, quae separatim iterum proferrentur, certas ob causas digna habuit. In scribendo igitur hoc XX. libro, qui potius supplementa priorum quam plenam aliquam perfectamque doctrinam continuit, certum ordinem sibi non curandum esse censuit. Qua ratione id quoque bene intellegimus, cur accentus XIX. libris, tempora et spiritus uno tantum tractaverit. Posterioribus iure id incommodum visum; ac propterea Philippum illum caput περὶ πνευμάτων in certum ordinem redegisse videmus. Is autem tractatus, qui Ἡρωδιανοῦ περὶ πνευμάτων inscriptus in codice Florentino exstat (Bandini catal. 2 p. 338), non modo nomine Herodianeo, sed ne commemoratione quidem dignus esse videtur.

De prosodiis Atticorum dialecto propriis Herodianus, ut ante eum Trypho, postea Pacatus, commentatus est in libro cuius inscriptio erat Ἀττικὴ προσῳδία (Schol. Ar. Eq. 487) sive περὶ Ἀττικῶν προσῳδιῶν (Et. m. 804, 11). Idem opus etiam περὶ Ἀττικῶν τόνων appellatur loco corrupto qui est in Cram. An. Par. 4 p. 182. Ibi enim de εἰλός vocabulo haec leguntur: ὀξυτόνως ἡ κατάδυσις τοῦ θηρίου. οὕτω καὶ Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ περὶ Ἀττικῶν τονόλιος καὶ μέμφεται τοῖς τὸ (leg. τῷ) ι κατατάττουσι τὴν λέξιν. Cramerus pro τονόλιος legendum esse credit τόνων μονοβίβλῳ; neque vero librum tanti argumenti μονόβιβλον appellari arbitror et multo facilius locus ita restitui potest: οὕτω καὶ Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ περὶ Ἀττικῶν τόνων εἰλός (sc. non ἰλός). καὶ μέμφεται κτλ. In Attica Prosodia multa fuisse quae omissa essent in Catholica,

haud crediderim, cum in hoc opere componendo omnium dialectorum rationem haberet grammaticus diligentissimus;[1]) utilitatis tantum gratia ea, quae illic dispersa erant, hic collecta coniunxisse videtur. Tria vocabula, de quibus in Attica Prosodia eum egisse scimus, etiam in Catholica tractata fuisse Arcadius docet. De materiae distribuendae ratione nihil compertum habemus; ut Herodianum potius de unius cuiusque vocabuli prosodiis egisse, quam generales leges protulisse arbitremur, res ipsa suadet.

Jam autem postquam de tribus operibus prosodiacis egimus, duae aliae librorum inscriptiones ad prosodiam spectantes nobis delendae sunt.

Quarum una est Herodiani ἀνώμαλος προσῳδία, citata in Et. m. 146, 14. Quae si recte sese haberet, cogitandum nobis esset de opere quodam eas prosodias, quae ab analogia atque consuetudine discedant, exponente. Ac tale consilium satis mirum esse nemo negabit; est vero aliud quod multo certius nos de eo cogitari vetat. Si ea scripta, quibus sermo Herodianeus paene integer servatus est, libros περὶ μονήρους λέξεως et περὶ διχρόνων fragmentaque Prosodiae Iliacae dico, perlustramus, inveniemus, nunquam Herodianum de rebus grammaticis ἀνώμαλον vocabulum et quaecunque ab eo derivantur adhibere. Quod ut appareat, appono omnia ea verba, quibus utitur, si quid linguae legibus usuique generali contrarium est:[2]) ἀκοινώνητον τῷ τοιούτῳ χαρακτῆρι Mon. 9, 1. ἠλογημένος 34, 30. ἠλόγητο ad Λ 532. ἀνακολούθως I 392. ἀντικεῖσθαι E 856. Z 202. Υ 485. ἀντιπίπτειν B 495. Γ 152. Λ 257. Ω 80. π. διχρ. 298, 7. διαλλαγή Mon. 25, 18. διαπεφευγότα E 39. ἐκστήσεται τῆς ὁμοιότητος Mon. 3, 8. τὸ πλῆθος ἐκφεύγειν Mon. 4, 35. ἔλεγχος Mon. 29, 20. ἐναντιοπται Ξ 351. ἐξαίρετος I 6. ἐπιστατέον Mon. 30, 13. 24. μάχεσθαι E 158. 759. Λ 270 bis. 301. Π 324. P 40. διχρ. 297, 2. τὸ μὴ πληθύον Mon. 5, 2. μονάζειν Mon. 8, 19. μονήρης M 137. Mon. 5, 11. 21. 22. 29. 6, 7. 10.

---

[1]) Cf. exempli gratia Et. m. 629, 11.

[2]) Apparet hisce vocabulis minime prorsus unam eandemque rem significari; verum accuratas eorum differentias exponere non in animo est.

22, 26. 27, 15. 20. 24. 28, 28. 29, 2. 11. 18. 30, 6. 13. 38, 5. 29. 39, 34. 41, 33. 46, 9. 47, 7. μόνος I 240. P 190. ξενίζειν O 725. ξένος A 153. 178. οὐ δόκιμος Mon. 15, 4. οὐ πληθύουσι καθ' ὁμοιότητα Mon. 3, 1. οὐχ ὑγιαίνειν Mon. 34, 28. οὐδὲν ὅμοιον Mon. 26, 14. παραβαίνειν Mon. 34, 30. παραλλαγὴν ἐποιήσατο Mon. 32, 10. παρήλλαξε τῶν προκειμένων Mon. 42, 16. παρηλλαγμένος A 81. Mon. 5, 25. παράλογος A 278. B 765. I 527. Π 548. διχρ. 289, 9. Mon. 28, 16. παραλόγως A 493. 508. H 199. Θ 18. διχρ. 292, 10. παράσημον Mon. 33, 27. πεπλανῆσθαι Mon. 3, 22. 11, 15. 33. 14, 28. 16, 9 (aliter 38, 16). πῶς οὖν κτλ. Mon. 40, 4. σημειοῦσθαι active E 683. Λ 432. Ξ 60. Φ 588. διχρ. 283, 1. 13. 284, 11. 286, 24. 294, 5. 297, 7. passive A 540. B 255. 316. E 887. Z 367. I 456. K 292. O 678. Σ 68. Y 72. Ω 343. διχρ. 291, 7. 293, 10. Mon. 15, 2. 18, 10. 21. 24, 19. 26, 19. 32, 32. 35, 9. σημειώδης B 153. Γ 182. Ω 318. διχρ. 288, 14. 18. 22. 290, 23. 299, 24. Mon. 7, 25. 12,9. 14, 8. 21. 16, 24. 33. 17, 9. 28. 19, 4. 21, 19. 22, 14. 23, 4. 24, 25. 30. 31, 6. 29. 32, 18. 29. 33, 1. 17. 19. 21. 34, 14. 35, 7. 26. 36, 17. 37, 11. 38, 12. 34. 39, 4. 40, 8. 41, 5. 15. 42, 14. 25. 33. 43,3. 44, 7. σπάνιος I 447. Λ 385. Π 41. Mon. 4, 26. 29. 33. 5, 1. 25. σπανίως Λ 409. Mon. 4, 20. ὑπεξαιρούμενος B 96. Π 57. ὑπεσταλμένος M 146. Ψ 254. Ω 316. διχρ. 287, 10. 289 ,6. 298, 14. 20. χαιρέτω Mon. 7, 3. Id autem, quod in tanta varietate verborum nunquam ἀνωμαλίαν dicit, casui tribuere nemo audebit. Nam ipsius vocabuli usum non aspernatus est: obicit Aristarcho ἀνωμαλίαν, i. e. inconstantiam, in distinguendis accentu nominibus propriis (ad Π 415); aspernatus est solum in rebus grammaticis. Neque huius rei causa nos latet. Huc enim pertinere puto hunc prooemii περὶ μον. λέξ. locum (5, 1): οὐδὲ (sc. πρόκειται) κατηγορεῖν τῆς λέξεως εἰ σπάνιοι εἶεν. ἐπεί τοί γε εἰ τὸ μὴ πληθύον πανταχοῦ ὡς ἡμαρτημένον ἐλέγχειν ἐπιχειρήσαιμεν, οὐκ ἂν ἐξαρκέσαιμεν μυρίον ἀριθμὸν εὐδοκιμωτάτων λέξεων ὡς παρὰ τοὺς τῆς φύσεως νόμους ἐξενεχθεισῶν κακίζοντες · ἀλλ ' ὥσπερ ἐγεννήσατο ἡ φύσις ἡμῖν ταύτας παρ ' αὐτῆς εὐμενῶς προσδέχεσθαι, ἀλλαχοῦ μὲν μίαν εἰσηγησαμένης, ἑτέρωθι δὲ δύο, καὶ νὴ Δία ἀλλαχοῦ τρεῖς, ἔπειτα τέσσαρας, μέχρις εἰς ἄπειρον χωρήσει πλῆθος. Videmus igitur, si unum aut plura vocabula a lege quadam discederent, Herodianum in hac re non linguae quasi inconstantiam vidisse, sed ita eam

explicasse, ut vocabula illa singulare quoddam genus efficerent [1]). — Aliter Sextus Empiricus, qui linguae inconstantiam quandam ἀνωμαλίαν appellat adv. math. 153.

Num igitur quisquam putaverit, Herodianum vocem, cuius usum aperte vitat, in libri inscriptione adhibuisse? Vix credo. Unde autem inscriptio orta sit, difficile est exploratu, variaeque huius erroris causae cogitari possunt. Liceat tamen mihi coniecturam de ea re proferre. Agitur illo Etymologici loco de Ἀρναῖος nomine (Od. σ 5), quod Herodianus παρὰ τὴν ἀρὰν derivat (ὁ εὐκταῖος τῇ μητρὶ γενόμενος). Ad Il. N 791 autem hunc canonem profert: τὰ διὰ τοῦ αιος τρισύλλαβα, ἔχοντα τὴν πρώτην συλλαβὴν εἰς σύμφωνον καταλήγουσαν, προπερισπᾶσθαι θέλει, χερσαῖος, ὀρφναῖος, ἐρσαῖος, ἀρχαῖος, Ἀρναῖος, Τρικκαῖος, Ἑρμαῖος · ὅθεν τὸ Ἑρμαῖον κάρα παρὰ Σοφοκλεῖ. τὸ δὲ „ὅθι θ' Ἕρμαιος λόφος ἐστίν" ὡς εἰς ἰδιότητα καὶ τὸ ἐπὶ τοῦ κυρίου πρὸς ἀντιδιαστολὴν διάφορον τόνον ἀνεδέξατο, ὡς Ἀθηναῖος καὶ Ἀθήναιος, ἀγοραῖος καὶ ἀγόραιος [2]). Sed idem, quod de Ἀθηναῖος et Ἀθήναιος profert, valet etiam de Ἀρναῖος. Hoc enim nomine etiam incola Arnae oppidi appellatur (Steph. p. 124, 2), de cuius oppidi nomine Herodianus in libris περὶ παθῶν fuse commentatus esse videtur (Et. m. 143, 53). Neque tamen Arnae incola a mendico Ithacensi accentu distinguebatur, quod cum lege supra proposita non congruere sine dubio Herodianus ad illum Odysseae locum adnotavit. Itaque posteris temporibus nonne epitomator de hac voce ita loqui potuit: Ἡρωδιανὸς ἀνώμαλον [3]) τὴν προσῳδίαν φησὶν (i. e. aliis huius generis non aequalem) ἐν τῇ Ὀδυσσειακῇ προσῳδίᾳ? Unde facillime ea oriri poterant, quae nunc in Etymologico exstant. [4])

---

1) Cf. Steinthal Gesch. d. Sprachw. fin.

2) Cf. omnino de his accentuum mutationibus Lehrs Ar. p. 273 sqq.

3) Usum vocabuli ne postremis quidem temporibus exstinctum fuisse demonstrat tractatus περὶ ἀνωμάλων ῥημάτων in Aldi Thes. Cornuc. f. 217.

4) Tacere nolo, in mentem mihi etiam venisse Herodiani μονόβιβλον περὶ κυρίων καὶ ἐπιθέτων καὶ προσηγορικῶν, in quo re vera de hac diversitate prosodiarum egit.

Altera quam dixi inscriptio est μεριϰὴ προσῳδία, quam in vita Apollonii et Herodiani supra commemorata invenimus. Quae si recte se habet, statuendum nobis est, scriptorem ea opera significare voluisse quae, cum partes tantum prosodiae continerent, Catholicae quasi opposita essent; atque haec erant, quoad nos scimus, opera de prosodia Homerica et de Attica. Num autem quaeso veri est simile, hosce duos libros tam diversi argumenti uno nomine a quoquam fuisse comprehensos? quod quidem nomen alteri saltem minime aptum est; nam commentarius, quo loci poetae propter prosodiae rationem difficiles aut dubii explicantur veraeque eorum prosodiae constituuntur, ea pars prosodiae vix potest appellari. Nonne multo probabilius est, grammaticum illum praeter Catholicam id opus nominatim commemorasse, quod, si libros περὶ παθῶν excipias, post Catholicam facile omnium notissimum atque celeberrimum erat, prosodiam Homericam dico? Accedit quod μεριϰὴν solum apud Aldum et, qui cum eo congruit, Sylburgium legitur; et codex Parisinus et Taurinensis μετριϰὴν praebent. Quare mihi quidem non audacius, sed cautius esse videtur, si locum levi corruptela affectum esse arbitramur (et omnino haud pauca vitia in illo tractatu insunt) et pro μεριϰὴν vel μετριϰὴν cum Osanno Ὁμηριϰὴν restituimus, quam si novo atque inaudito titulo nomina librorum Herodiani augemus.

IV.

Iam transimus ad ea opera, quibus Herodianus de orationis partibus commentatus est, atque initium facimus a libris de nominibus, post Prosodiam Homericam et ante Catholicam compositis, quos ipse περὶ ϰλίσεως ὀνομάτων (ad I 529. διχρ. 286, 7. Mon. 10, 24) sive breviter περὶ ὀνομάτων (ad E 9. 266), grammatici Byzantini ὀνοματιϰόν appellaverunt. Herodianum enim, cum duobus illis nominationibus utatur, non duo opera (quae est Lehrsii sententia, Her. p. 419), sed unum significare, ex eo colligo, quod et iis ipsis locis, ubi περὶ ὀνομάτων dicit, de declinatione agitur, et ex Onomatico, quod ab opere περὶ ϰλίσεως ὀνμάτων diversum non esse apud omnes

iure constat, quaedam afferuntur, quae ad declinationem non pertinent (Choer. p. 269, 9. 367, 28. 713, 18). Appellatione περὶ κλίσεως ὀνομάτων etiam Stephanus Byzantius utitur (p. 186, 15); iis autem locis, quibus ὀνομαστικόν legitur, viri docti ὀνοματικόν iure restituerunt[1]). Ὀνοματικά apud schol. Il. Ω 318 legimus. — Ante Herodianum scripserunt (ut Chrysippi libros omittam) Dionysius ὁ τοῦ Τρύφωνος et Heraclides περὶ ὀνομάτων, Draco περὶ τῶν κατὰ συζυγίαν ὀνομάτων, Trypho et Apollonius complura de hoc argumento opera.

Servatus nobis est tractatus brevissimus, cuius inscriptio est ἐπιτομὴ τῶν ὀνομάτων (leg. ὀνοματικῶν) κανόνων ἐκ τῶν Ἡρωδιανοῦ (Cram. An. Ox. 4 p. 333); eiusque exordium differentias, quibus diversae nominum classes efformantur, enumerans ex Onomatici prooemio fluxisse Lehrsius satis probabiliter suspicatus est; quamquam id pro certo affirmare noluerim. Maiore confidentia ad prooemium illud refero quod Choeroboscus tradit (p. 7, 10): οἱ δὲ περὶ Ἀπολλώνιον καὶ Ἡρωδιανὸν καὶ Ῥωμανὸν τὰ εἴδη προτάττουσι τῶν γενῶν, οἷον εἴδη γένη κτλ. Herodianus igitur, aliam ac Dionysius Thrax rationem secutus, prius περὶ εἰδῶν, dein περὶ γενῶν egit; cuius rei causas eo quem citavi loco Choeroboscus profert. Quo vero alio loco περὶ τῶν παρεπομένων τοῦ ὀνόματος egisse putandus est nisi in exordio librorum περὶ ὀνομάτων? In eodem prooemio de τίς vocabulo Herodianum egisse e Choerobosco (p. 281, 14) comperimus. Quod sine dubio nullam ob aliam causam fecit nisi quia veteres, utrum τίς nomen esset an pronomen, dubitabant (cf. Lehrs ad Mon. 19, 1); talibus autem quaestionibus tractandis prooemium sane aptissimus locus erat. Si quis vero illud quoque ad Onomatici prooemium referendum esse statuerit quod apud Choeroboscum p. 469, 12 legimus: περὶ δὲ τῆς τάξεως πάντων τῶν μερῶν τοῦ λόγου, ἔτι δὲ καὶ περὶ τῆς αἰτίας τῆς ὀνομασίας, τοῦτ' ἔστι διὰ τί οὕτως ὠνομάσθησαν, οἷον διὰ τί τὸ ὄνομα λέγεται ὄνομα ἢ τὸ ῥῆμα ῥῆμα καὶ τὰ λοιπὰ ὁμοίως, ἐν τοῖς προλεγομένοις τοῦ ὀνοματικοῦ Ἡρωδιανοῦ μαθησόμεθα, vereor, ut iure hoc statuerit. Cum enim Choeroboscus quaestiones eiusdem generis instituerit in prole-

[1]) Choer. p. 35. Et. m. 779, 30. Cf. Hemsterhuys praef. Poll. p. 35.

gomenis, quae dictatis in Theodosii canones praemisit, haec autem prolegomena et in codice προλεγόμενα τῶν Θεοδοσίου ὀνοματικῶν inscribantur et ab ipso προλεγόμενα τῶν κανόνων appellentur, multo veri similius esse videtur, Choeroboscum sua ipsius prolegomena dicere, quibus adnotationes in Herodiani regulas de nominibus instruxit; nam eum re vera commentarios in Herodianum scripsisse docet Eustathius ad Il. B p. 276, 43; cf. ad Od. ϑ p. 313, 10.

De Onomatici consilio ac ratione probe sciremus si fides habenda esset Lübberto. Is enim proposuit, Onomaticon a Choerobosco in epitomam esse redactam quae in editionis Gaisfordianae p. 26—88 exstaret (rhein. Mus. 11 p. 441). Sed, ut mihi quidem videtur, hoc falsum est et argumentis caret. Et primum quidem, si de auctore tractatus illius quaerimus, videndum est, num codex Coislinianus, quem Gaisfordius editione sua typis exprimendum curavit, de hac re nos certiores faciat. Atque is cum in initio Choerobosci prolegomena in dictata habeat, ipsa dictata haec non statim p. 19 (ταῦτα ἔχομεν εἰπεῖν ἐν προλεγομένοις) excipiunt, sed p. 88 demum sequuntur. Post prolegomena autem primum legitur initium libelli Ioannis Characis de inclinandis accentibus (p. 19—21. 1149 sq. Bekk.); tum, postquam extrema prolegomenon particula repetita est (p. 21 sq.), tractatus ille quem Lübbertus dicit sequitur. Apparet igitur, eum, si codicis auctoritatem respicimus, vix maiore iure quam Characis libellum Choerobosco attribui posse. Praeterea autem ne minimam quidem probabilitatis speciem habet, ullum hominem, etiam grammaticum Byzantinum dico, inter prolegomena et ipsum quoddam opus alia interponere, si maiorem eorum partem in opere repetiturus sit et prolegomena cum opere artissime cohaereant [1]).

Neque vero multum nostra refert, quis sit epitomator, dum modo re vera pro epitoma Onomatici libellus sit habendus. Iam igitur, ut a levioribus incipiam, id oblivionis potius est quam erroris, quod Lübbertus quasi de toto Onomatico loquitur: maiorem eius partem dicere debuit; nam, si pauca quae-

---

[1] Cf. p. 18, 21 ἐπειδὴ δὲ κανόνων εἰσαγωγικῶν μέλλομεν ἄρχεσθαι.

dam in transcursu allata praetermittimus, de nominibus masculinis tantummodo et communibus sermo est. Neque id premere in animo est quod p. 35, 20 canoni nominum in ζας ξας ψας exeuntium additur: ἰστέον ὅτι Ἡρωδιανὸς οὕτω κανονίζει ταῦτα: haec enim res frequens apud epitomatores; sic in Catholicae epitoma legimus p. 106, 1 τὸ δὲ ἰξῦς ποτὲ μὲν ὀξύνει ὁ Ἡρωδιανὸς, ποτὲ δὲ περισπᾷ. 147, 5 προστίθησι δὲ ὁ τεχνικὸς κτλ. 148, 15 λέγει δὲ ὁ τεχνικὸς κτλ. Et eiusdem generis est quod in nostro de nominibus libello exstat p. 32, 3 σημειοῦνται οἱ τεχνικοὶ κτλ. Maioris momenti iam id est, quod p. 82, 35 Orus, p. 83, 28 Theodosius, p. 87, 31. 88, 18 Ioannes Charax citantur, graviusque etiam, quod p. 32, 29 sententia posteriorum grammaticorum Herodianum impugnantium affertur et p. 35, 3 notus locus exstat de discrepantia quadam inter Herodiani qui ferebantur Epimerismos et Onomaticon. Mira haec profecto in Onomatici epitoma, cui id quoque parum convenit, quod eius prooemium (p. 22—26) aperte excerptum est e Choerobosci prolegomenis in dictata. Quod vero summum ad quaestionem nostram momentum affert, hoc est. Choeroboscus diserte dicit, Theodosium in eo ab Herodiano discessisse, quod vocabula in εις exeuntia post ea, quorum ις terminatio est, poneret; Herodiani enim ordinem hunc esse: ας εις ευς ης, ac tum demum ις; quorum ultimum, etsi non additur, tamen e toto rerum connexu apparet. Id autem propterea ab Herodiano ita institutum esse, quia ε vocalis (quae est in diphthongis ει et ευ), non ι, post α locum haberet (p. 197, 15). Neque ulla est causa, cur hoc testimonium in suspitionem adducamus: nam Choeroboscum, si non integrum Onomaticon, ad certe bonam eius epitomam in manibus habuisse compluribus locis evincitur. Quid igitur tractatus noster, quem Lübbertus pro Herodianei operis epitoma habuit? Simpliciter servat eum ordinem quem canones Theodosiani exhibent: ας ης ις εις ευς. Neque aliter κανόνες illi ὀνοματικοί supra a nobis commemorati; atque hanc praecipue ob causam Lehrsii illi sententiae (fragmentum de nominum differentiis his canonibus praemissum ex Onomatici prooemio sumptum esse) non nisi dubitanter astipulatus sum.

Ceterum si evicisse mihi videor illam ἐπιτομὴν τοῦ ὀνόματος (ita

ab ipso scriptore appellatur p. 22, 3) Onomatici Herodianei epitomam non esse: tamen minime nego, et quaecunque bona in ea insunt ex Herodiano (quamquam per complures manus) fluxisse [1]) et singulos canones eadem fere ratione ab Herodiano fuisse propositos [2]). Atque id in eo quod huius rationis exemplum Lübbertus sibi sumpsit, masculina in ων exeuntia dico, etiam probabilius fit propter congruentiam cum Theognosto, qui copiis Herodianeis diligenter usus est. Quapropter si quis rationem in singulis ab Herodiano adhibitam cognoscere velit, cum ad Lübberti dissertationem relegare me posse arbitror. De totius autem operis compositione duo tantum habeo quae proferam. Quorum prius est Choerobosci testimonium iam allatum; quocum congruit id quod Stephanus commemorat, Herodianum ἐν πρώτῃ κλίσεως ονομάτων de nominibus in γας exeuntibus egisse (p. 186, 15). Alterum legitur in scholiis Venetis ad Il. Ω 318; ibi enim cum de εὐκνήμις et μελαμψήφις vocum terminatione tertius Onomatici liber citetur, concludo, quinque illas nominum classes (in ας εις ευς ης ις) tribus primis libris tractatas fuisse, fortasse etiam plures. Amplius autem de librorum numero ex ea re quidquam colligere non licet; nescimus enim, utrum masculina et feminina coniunctim an separatim tractata fuerint, et id quoque incertum est, num Herodianus libris de declinatione alios quosdam ad alias quaestiones spectantes addiderit. Contra id scimus, de quibusdam nominibus propter singulares formas notabilibus μονόβιβλα sive peculiares commentationes eum scripsisse; quo pertinent libellus περὶ τοῦ ζώς [3]) et περὶ τοῦ ὕδωρ μονόβιβλον [4]). Neque praetermittendum mihi est hoc loco μονόβιβλον περὶ κυρίων καὶ ἐπιθέτων καὶ προσηγορικῶν [5]), quo de iis nominibus quae simul sub-

[1]) Ad idem excerptorum genus fortasse pertinent quae in codice Laurentiano exstant (Band. 2 p. 262): Ἡρωδιανοῦ περὶ τῶν πρὸ μιᾶς ἐχόντων τὸν τόνον ἀρσενικῶν εὐθειῶν καὶ τῶν κλητικῶν αὐτῶν, καὶ περὶ γενικῶν ἀμφιβαλλομένων ἀπὸ διχρόνου.

[2]) Cf. exempli causa Steph. p. 186, 15 cum Choer. p. 33, 32.

[3]) Et. m. 741, 46. Cf. Mon. 41, 31.

[4]) Choer. p. 208, 25. Consentio enim cum Lehrsio p. 422 sq.

[5]) Schol. Eur. Hipp. 408.

stantiva et adiectiva aut substantiva et propria (velut Μορφή) aut adiectiva et propria (velut Κλυτή) sunt deque eorum usu, differentiis, formandi ratione eum egisse credibile est. Maior eius libri pars necessario in accentuum differentiis est versata; sed unicum quod superest fragmentum demonstrat, virum doctissimum occasione data etiam mythorum rationem habuisse.

Commentarius περὶ ῥημάτων sive περὶ ῥήματος [1]) non solum qua ratione compositus fuerit nobis incognitum est, sed etiam nescimus, num omnino Herodianus eum perfecerit. Neque enim usquam eum quasi iam editum commemorat, neque quisquam posteriorum grammaticorum eum citat, quod in hac materia non possum non mirari. Choeroboscus in dictatis de nominibus ad Herodiani ὀνοματικόν saepe provocat; de verbo autem agens Herodianum quidem citat (et quis negaverit, in ceteris quoque eius scriptis permulta ad verbum spectasse?), neque tamen huius, sed Apollonii ῥηματικόν nominat. Atque animo mihi perbene effingere possum, Herodianum per multos annos in elaborandam de verbis doctrinam incubuisse ac saepe ad opus eam complectens, etsi nondum perfecerit, in libris iam perfectis provocasse, neque tamen ad finem pervenisse. Cogites quaeso, quantopere haec doctrina leges de nominibus materiae amplitudine et difficultate superaverit, praesertim cum omnia verba (etiam εἶναι, ad Δ 222. Mon. 44, 24) tractare grammaticus sibi proposuerit. Liber περὶ τῶν εἰς μι (ad Z 336) utrum pro parte magni huius de verbis operis an pro peculiari libro habendus sit, nescimus. Certe librum περὶ συζυγιῶν Herodianus perfecit (Theogn. p. 138,15), praeterea μονόβιβλον περὶ τοῦ ἦν (Choer. p. 536, 18) et aliud μονόβιβλον, ἐν ᾧ διαλαμβάνει περὶ τοῦ μὴ πάντα τὰ ῥήματα κλίνεσθαι εἰς πάντας τοὺς χρόνους (Choer. p. 811). Quod autem La Rochius etiam librum περὶ παθητικῶν Herodiano tribuit (παρεκβ. τοῦ μεγ. ῥήμ. p. 3), non recte fecisse mihi videtur. Nam cum saepius περὶ παθητικῶν aperte vitiosa scriptura sit pro περὶ παθῶν [2]), idem etiam in eum locum, qui sane re vera de passiva quadam forma agit (Et. m. 56, 28), cadere potius arbitror, quam

---

[1]) Her. ad A 277. Δ 222. Mon. 44, 24. 45, 11.

[2]) Zon. Lex. p. 603. Cod. Voss. Et. m. 18, 43. 48, 42.

propter hunc solum locum de peculiari περὶ παθητικῶν libro cogitandum esse.

Librum περὶ μετοχῶν Herodianus citat de Mon. 5, 28 (δείκνυται), librum περὶ ἀντωνυμιῶν ad Il. E 219 (δηλοῦται). I 392 (δείκνυται), librum περὶ ἐπιρρήματος sive περὶ ἐπιρρημάτων ad E 100 (ἐροῦμεν). de Mon. 26, 12 (δείκνυται). 27, 3 et 14 (λέγεται). In his de partibus orationis operibus eum non solum ad etymologias, formas, declinationes, sed etiam ad syntaxin respexisse, ex tota qua eum uti videmus ratione minime credibile est, quamquam ab anonymo quodam Byzantino traditur (Bachm. An. Gr. 2 p. 424). Lehrsio Herodianum etiam περὶ ἄρθρων, περὶ προθέσεων, περὶ συνδέσμων scripsisse putanti non contradico; id vero nego, propterea hoc arbitremur necesse esse, ut Herodianum omnia orationis partes quasi uno corpore complexum esse appareat. Huius enim consilii nullum vestigium invenimus; imo totum scribendi genus, quo Herodianus utitur, ei repugnare videtur [1]).

Liceat mihi occasione data paulum evagari idemque, quod filio, etiam patri abrogare. Apollonium enim cum de omnibus orationis partibus libros composuisse constet, hos libros partes tantummodo fuisse unius corporis, quae τέχνη γραμματική inscripta esset, Dronkius demonstrare studuit (rhein. Mus. 11 p. 549 sqq). Neque levis momenti est haec res. Ante Apollonium nemo fuit inter grammaticos Graecos, quem singulas grammaticae partes tali opere comprehendisse pro certo evinci posset. Nam Dionysii Thracis qui fertur libellum ab huius modi consilio longe alienum esse vix est quod commemorem; de Tyrannionis autem περὶ τῶν μερῶν τοῦ λόγου et Asclepiadis Anterotisque περὶ γραμματικῆς libris nihil fere scimus: respectis paucissimis quae ex Tyrannionis et Asclepiadis operibus supersunt fragmentis cogitari potest, in universum tantum de grammatica partibusque orationis eos egisse [2]); accedit quod A-

---

[1]) Ars grammatica, a Nesselio catal. codd. Vind. 4 p. 138 commemorata, quam mira credulitate Foltzius Herodiano tribuit (p. 6) ne exstat quidem; sunt enim, quae Nesselius ita appellavit, παρεκβολαὶ τοῦ μεγάλου ῥήματος. La Roche παρεκβ. p. 3.

[2]) Suid. s. v. Τυραννίων ὁ νεώτερος. Sext. Emp. adv. gramm. 252.

sclepiadis opus ante Apollonii tempus scriptum esse minime constat (Lehrs p. 436). Post Apollonium Lupercus, Eudaemo, Astyages τέχνας γραμματικὰς composuisse traduntur (Suid. s. vv.); quibus rationibus quibusque consiliis nescimus. Operae igitur pretium est iterum inquirere, num Apollonio re vera praeclarum consilium magni illius certaque ratione confecti operis iure tribuere possimus.

Orsus est Dronkius a Prisciano, quem per totum fere opus suum Apollonio usum fuisse facillime nobis persuadet. Hoc addo, de voce Apollonium fortasse breviter egisse in libro περὶ στοιχείων, de syllaba et dictione in εἰσαγωγῇ (Apoll. de constr. p. 337), quam introductionem in universam grammaticam fuisse probabile est. Quamquam Dronkii de hac re sententia, qui Apollonio peculiares libros περὶ φωνῆς, περὶ συλλαβῆς, περὶ λέξεως attribuit, certis argumentis refelli nequit. Quod vero Dronkius, cum Priscianus in omnibus Institutionum partibus Apollonium adhibuerit, o r d i n e m partium apud Graecum grammaticum eundem quam apud Latinum fuisse conclusit, id multo audacius est quam probabilius. Non satis cogitasse mihi videtur Dronkius de eo Apollonii loco qui est de constr. p. 10—18: ibi enim Apollonius fuse ac diserte exponit argumentisque comprobat, quaenam sit recta ratio in ordinandis orationis partibus; atque hac ipsa ratione Priscianum uti videmus, qui et illum Apollonii locum convertit (II p. 115 sqq.). Licet igitur ingenio non abundasse eum putaveris, id profecto neque ingenium nec diligentiam nec doctrinam requisivit, quod ordinem ab Apollonio praescriptum in digerendis operis sui libris secutus est. Videmus igitur, in hac re nullam inesse vim argumentandi.

Praeterea aliud est quo Dronkius quasi argumento utitur: Apollonii rationem dico in citandis suis ipsius scriptis adhibitam. Atque ex eo quidem quod Apollonius in uno commentario ad alium nos relegat, minime consequitur de uno librorum corpore cogitandum esse: id quod exempli gratia facillime ex Herodiano intellegere possumus. Plus momenti inest in verborum formis, quibus grammaticus in laudandis libris suis utitur. E qua re apud Apollonium nihil colligi posse postquam Lehrsius edixit (Quaest. ep. p. 38), Dronkius, cum

eadem re ad sententiam suam comprobandam uti vellet, novas sibi paravit difficultates. Ea, quae mihi vera esse videntur, haec sunt. Potest fieri, ut scriptor aliquis in citando libro nondum edito tempore praeterito utatur, si eam ipsam quam laudat libri partem iam scriptam ac perfectam habet; sed paulo neglegentius est, hoc non corrigere, altero libro nondum perfecto atque edito, cum priorem emittat, idemque etiam valet de contraria re, futurum dico adhibitum in citandis libris iam scriptis.[1]) Dixi haec fieri posse: prorsus certa exempla apud bonos grammaticos Graecos non invenio. De Apollonio enim statim videbimus; in Eustathio sane reperitur haec in citando neglegentia: neque vero is adhibendus est, si de Apollonio agitur, ac praeterea haud exigua in hac re differentia statuenda est inter amplos Eustathii commentarios et Apollonii scripta. Tantum igitur abest, ut saepe illud factum esse videatur, ut minime vetemur e verborum formis in citando adhibitis cum probabilitate satis magna colligere, quonam ordine libri compositi vel potius editi sint. Saepissime, opinor, in definiendis temporibus coacti sumus argumentis multo incertioribus uti.

Quae si vera sunt, proferre audeo, Apollonii librum de coniunctionibus editum esse ante librum de adverbiis, librum de compositis post librum de pronomine, librum περὶ τῶν διεψευσμένων τόνων (si re vera Apollonius eum perfecit) post librum de adverbiis[2]). Atqui haec omnia Dronkii sententiae aperte obstant (v. p. 567). Minus certe iudicare possumus de libris περὶ ἐπιρρημάτων, περὶ μετοχῶν, περὶ συντάξεως. Cum enim paene omnes loci demonstrare videantur, primum librum de adverbiis, deinde librum de participiis (quod et ipsum contrarium est a Dronkii opinione), tum libros de constructione

---

[1]) Praesens utramque notionem habere potest: cf. Her. Mon. 18, 1 et 18, 16. 45, 11 et 44, 24.

[2]) V. de adv. p. 543, 18. 26. de pron. p. 299 B. de constr. p. 246, 24. de adv. p. 581, 4. — Loci qui sunt de constr. p. 49, 26 et 246, 24 non ad alios libros referendi sunt, sed ad eiusdem operis locos p. 85, 12 sqq. et 268, 20 sqq.

editos esse[1]), uno loco qui est in libro de adv. p. 532, 5 haec legimus: τὸν τοιοῦτον λόγον ἀκριβέστερον ἐν τῷ περὶ συντάξεως ἐκτεθείμεθα. Licet igitur hoc ad illud quod dixi neglegentiae genus referre aut conicere, Apollonium tres de quibus agimus libros eodem fere tempore emisisse. Potest etiam tertium cogitari. Cum enim nunc inter omnes constet, et libros de constructione non esse opus perfectum et eosdem omnium quos scimus Apollonii librorum postremos esse (cuius rei argumenta denuo proferre nolo)[2]), nonne satis probabile est, ipsum Apollonium eos neque absolvisse neque edidisse? Apparet autem e loco illo qui est de adv. p. 532, 6, quaedam e libris de constructione iam ante hunc locum scripta fuisse. Itaque si Apollonius eodem fere tempore in conscribendis libris de constructione et de adverbiis et (quod necessario inde sequitur) de participiis fuit occupatus[3]), fortasse ne librum de adverbiis quidem ipse edidit atque ita factum est, ut ἐκτέθειται illud non corrigeretur. Ac si hoc verum est, haud scio an eum errorem, quo pars operis de constructione libro de adverbiis adiuncta est, [4]) maiore iure veteribus editoribus horum librorum quam librariis tribuamus.

Sed fortasse nimius fui in capiendis coniecturis. Summa vero rei haec est: locus de adv. p. 532, 5 ita explicari potest, ut non necesse sit ad Dronkii sententiam de uno Apollonii

---

[1]) V. de adv. p. 530, 28. 531, 3. 535, 25. 542, 12. 554, 25. de constr. p. 15, 23. 66, 3. 67, 18. 85, 10. 204, 10. 235, 9. 302, 9. 327, 23. 330, 3. [de adv.] 616, 30. 622, 27.

[2]) V. Schneider, rhein. Mus. 3 p. 455. Graefenhahn 3 p. 151. Lange, das System der Synt. des Ap. p. 42. Egger, Ap. Dysc. p. 220. Dronke l. c. p. 562. Steinthal, Gesch. d. Sprachw. p. 690.

[3]) Intellegere non possum, cur Dronkius id quod hodie saepe fieri videmus, cum de Apollonio agatur, prorsus reiectaneum esse censuerit (p. 565). Num inde quod libros de constructione post librum de pronomine scripsit ullo modo sequitur, eum nunquam in duobus vel tribus operibus simul occupatum fuisse?

[4]) Schneider l. c. p. 446 sqq. Egger p. 21. Etiam alia in hoc libro non recte sese habere demonstravit Dronkius, rhein. Mus. 12 p. 321 sqq.

librorum corpore confugere; ceteri, quibus Apollonius scripta sua ad partes vocat, aut obstant huic sententiae (ut p. 48 vidimus) aut omnino nihil probant. Itaque ea, quibus potissimum Dronkii argumentatio nititur, concidere videmus. Sunt quoque quae eius opinioni aperte repugnent: quorum unum iam commemoravimus. Accedunt alia. Ac primum quidem hoc probabile esse contendo: si Apollonius libros suos partes tantummodo unius corporis esse voluisset, multo saepius idem liber modo futuro modo praeterito tempore citatus esset aut omnino alia illius rei signa in ipsis quos habemus libris inessent. Accedit quod in libris de pronomine et de coniunctionibus, quos e Dronkii sententia paene omnes reliqui necessario praecesserunt, alia Apollonii scripta non citantur praeter libros περὶ δασείας (de pron. p. 332 B), περὶ σχημάτων (ib. p. 339 C. de coni. p. 495, 31. 502, 16. 503, 8), περὶ ἀντωνυμιῶν (de coni. p. 491, 11). Praeterea mirum profecto foret, si magni illius corporis nullum ac ne minimum quidem testimonium apud posterorum temporum grammaticos exstaret. Quamquam talem locum in scholiis Dionysii Thracis reperisse Dronkius sibi visus est (p. 730, 5 sqq.), ubi probatur eorum ratio, qui a voce grammaticam incipiant. In quorum numero Apollonium fuisse Dronkius satis probabiliter coniecit; potuit autem de vero artis grammaticae initio aptissime agi in libris περὶ μερισμοῦ τῶν τοῦ λόγου μερῶν aut περὶ στοιχείων aut in εἰσαγωγῇ. — Tum id maximi momenti puto, quod saepius Apollonius eandem rem eadem diligentia duobus vel pluribus librorum suorum locis exponit (cf. Lehrs Her. p. 417). Hoc enim, ut in diversis operibus excusationem non requirit, ita in u n o prorsus ineptum est. Longe autem gravissimum ad totam hanc rem diiudicandam est initium libri de coniunctionibus. Incipit enim Apollonius his verbis: ἡ προκατειλεγμένη σύνταξις περὶ συνδέσμων ὑπὸ πλειόνων γραμματικῶν, ἐλλιπεστέρα καθεστῶσα, τοὺς συνεχέστερον ἡμῖν ἐν ταῖς σχολικαῖς συγγυμνασίαις συνιόντας οὐκ ἔπειθε. Tum ubi causas, quibus priorum grammaticorum de coniunctionibus dissertationes probari non possent, veramque huius rei tractandae rationem exposuit, ita pergit: καὶ ἕνεκα τῶν τοιούτων παραδόσεων ἀ ν α γ κ α ί ω ς εἰς σ χ ο λ ι κ ὴ ν

ἀντιβολὴν κατέστημεν. Num quaeso quisquam tali modo particulam magni operis totam artem grammaticam complectentis ordiri potest, praesertim cum iam omnes paene reliquae partes praecesserint? Minime vero. Imo Apollonius libros suos ita composuit, ut postulabat tempus, facultas, discipulorum consuetudo. Atque eum, cum primos scriberet, iam de postremis certum aliquid in animo habuisse mihi quidem non probabile est.

V.

Praeter tria Herodiani scripta a Lehrsio edita inter fontes doctrinae Herodianeae facile principem locum obtinent fragmenta librorum περὶ παθῶν [1]), quorum longe plurima Etymologicum servavit, modo operis tantum, modo etiam Herodiani nomine addito; praeterea permultos Etymologici locos aut nullo aut solo Herodiani nomine insignitos ex iisdem libris fluxisse vix est quod addam. Videtur autem eos posterioribus vitae temporibus scripsisse. In commentario enim de monadicis nusquam citantur, quamquam occasione certe saepissime data; id vero opus post Catholicam compositum est, in qua perficienda Herodianus haud exiguum, opinor, temporis spatium consumpsit. Magna doctrina locorumque allatorum copia libri περὶ παθῶν non minus conspicui fuerunt quam cetera Herodiani opera; etiam in iis quae habemus fragmentis magnus poetarum atque scriptorum numerus citatur. Ceterum, etiamsi multi horum fragmentorum loci emendatione aut explicatione egent, mihi tamen in opere περὶ παθῶν diutius commorandum propterea non est, quia, quae ex consilio nostri libelli de eo sunt proferenda (quae sane non multa sunt), Lehrsius iam protulit (p. 418 sq.); ad cuius verba provocare quam ea repetere satius videtur.

Libris περὶ παθῶν argumento maxime propinqui erant ac

---

[1]) Falso περὶ πάθους appellantur in Zon. Lex. p. 614. 611. 1486. 1540. ἐν τῷ κατὰ πάθη Cram. An. Ox. 3 p. 338, 28.

necessario multo cum iis communia habebant tres ii, quos Herodianus de nominum derivatione et compositione scripsit. Egit autem de derivatione in libro περὶ παρωνύμων, ante Prosodiam Homericam scripto (ad N 102), et in libro περὶ ῥηματικῶν ὀνομάτων (Mon. 6, 14). Περὶ παρωνύμων ante eum Trypho, Habro, Apollonius scripserant; alterum argumentum peculiariter tractatum non inveni.

Quae σχήματα veteribus grammaticis dicta sint, Dionysius Thrax (p. 635, 21) aliique nos docent: σχήματα ὀνομάτων εἰσὶ τρία, ἁπλοῦν, σύνθετον, παρασύνθετον κτλ. (cfr. Ztschr. f. d. AW. 1839 p. 420.) Et sane ut Tryphonis et Apollonii ita etiam Herodiani commentarium περὶ σχημάτων in doctrina de nominibus compositis versatum fuisse, demonstrant duo eius fragmenta, quae exstant apud Her. ad I 502. Et. m. 137, 33. Aliud argumentum is locus exhibet qui est in schol. ad Il. Γ 391; neque tamen ea re offendendum, cum permulta a veteribus grammaticis in transcursu commemorata explicataque esse nemini ignotum sit. Librum illum rhetorici argumenti, qui Aelii Herodiani nomen ferens ad nostram aetatem pervenit, ab Hero iano grammatico quam maxime alienum esse Foltzius evicit. Sed idem quaestionem de vero posterioris partis scriptore iusto neglegentius tractavit. Putat enim eam compositam esse ab Herodiano peripatetico, Apollonii Dyscoli fratre (p. 34). De quo viro certiorem eum fecit Fabricius, cuius Bibliotheca Graeca non aliter ac veteris scriptoris opere utitur. Ac sane Fabricius III. p. 466 nominat Apollonium Alexandrinum peripateticum; sed Plutarchus, cuius auctoritatem affert, commemorat quidem Apollonium peripateticum, neque vero eum Alexandriae natum fuisse dicit (de frat. am. 16 p. 487). Eum autem Apollonium Dyscolum esse, neque Plutarchus neque Fabricius sed solus Foltzius excogitavit. Huius Apollonii fratrem Fabricius p. 495 affert: quo auctore nisus sit nescio. Sed ut haec somnia relinquamus, id Foltzio concedendum est, librum illum Herodiano aut errore adscriptum esse a librario, qui grammaticum περὶ σχημάτων egisse scivit, aut re vera ab alio quodam Aelio Herodiano esse compositum. Utrum autem verum sit, vix diiudicari posse arbitror.

Ad Herodiani Orthographiam transiturus ante omnia afferendum puto hunc Apollonii Dyscoli locum (de constr. p. 6), qui ad statuendam veterem orthographiae notionem satis aptus esse videtur: παρεπόμενόν ἐστιν ἔσθ' ὅτι ταῖς λέξεσι καὶ περὶ τὰς γραφὰς ἁμαρτάνεσθαι, ἃς ἢ προφανῶς ἔστι καταλαβέσθαι διὰ τῆς ἀκοῆς ἢ ἀδήλου τοῦ τοιούτου ὄντος ἡ κατὰ τὸν ἐπιλογισμὸν ἐξέτασις κατορθοῖ, ἣν καλοῦμεν λόγον τὸν περὶ ὀρθογραφίας. Itaque in operibus de orthographia compositis ea tantum tractabant grammatici Graeci, quae non auribus ac loquendi consuetudine, sed ratione tantum doctisque argumentis poterant diiudicari [1]). Erant autem haec varia. Et saepissime quidem dubitabatur, utrum aliquod vocabulum ι litera an ει diphthongo, nec non utrum ε an αι scribendum esset, cum in harum literarum appellatione discrimen iam non appareret; huc accedebat quaestio de apponendo ι subscripto. De scripturis autem η et ι, οι et υ vetustiores grammaticos egisse non video; dico hoc propter Schmidtium, Did. p. 336. Haec igitur omnia grammatici ποσότητος nomine comprehendebant, quippe quae quodam modo versarentur in numero literarum statuendo. De consonantibus autem quas instituebant quaestiones ad ποιότητα pertinere ferebantur, veluti cum doceretur, utrum Ζμύρνα an Σμύρνα esset scribendum. Restat unum, idque multo minoris momenti, leges scilicet de vocabulis in singulas syllabas dissolvendis, quae exempli gratia docebant utrum 'Αρι-στίωνος an 'Αρισ-τίων esset rectum, vel, ut veteribus vocabulis utar, utrum esset συμπλοκή an διάστασις (Mon. 32, 24). Atque haec orthographiae pars σύνταξις sive μερισμός a grammaticis dicebatur [2]).

Haec omnia ut in aliorum sic etiam in Herodiani Orthographia tractata fuisse e fragmentis videmus. Egit de ει et ι, αι et ε literis distinguendis nec non de ι subscripto. De aliis vocabulis diphthongisque eum disputasse comprobari nequit. Wettinus quidem (p. 13) censuit, etiam de scriptura ει et ε quaedam ab eo fuisse proposita. Quis vero putaverit, hasce

---

1) Quatuor praecipue regulae sive canones feruntur: analogia, dialectus, paradosis, etymologia.

2) Sext. Emp. adv. gramm. 168 sqq. Bekk. An. p. 1127.

vocales Graecos Herodiani temporibus similiter prolocutos fuisse? Neque duobus quae attulit exemplis id ullo modo demonstratur. Nam et αἴγειρος, cuius vocis etymologiam Herodianus in Orthographia exposuit (Or. p. 17, 14), sine ε scriptum inveniebatur (Et. m. 28, 52), et μάγειρος cuius Aeolica forma teste Philoxeno erat μάγιρος (ib. 1624 F). Restat unum νέαιρα vocabulum quod anologiae tantum causa ab Herodiano commemoratum fuisse arbitror. De οἶκος autem egit cum de verbis εἴκω, ἴκω, ἥκω dissereret; id quod apparet e Choerobosco (in Ps. p. 77).

Ποσότητος quoque legum Herodianearum exempla nobis servata sunt. Docuit enim ἂμ βωμοῖσι, non ἂν βωμοῖσι, esse scribendum (v. ad Θ 441); nam talia loquendo Graecos non distinxisse notum est. Praeterea exposuit, in ἐχθρός, quod derivandum esset ab ἔχθος, χ literam recte poni, non κ, quam alii inepta etymologiae ratione (ἔξω τεθορηκώς) praetulerunt (Or. p. 57), non mutata scilicet appellatione.

Συντάξεως denique unum servatum est fragmentum quod exstat apud Priscianum (I p. 45): Herodianus de orthographia ostendit, rationabilius esse sonoriusque quantum ad ipsam vocis prolationem, in compositis quoque simplicium regulam in ordinandis syllabarum literis servare.

Singularum partium disponendarum ratio qualis fuerit non docemur; de iis vero libris, qui ante Herodianum de orthographia compositi sunt, ne conicere quidem quidquam licet. Nam de Draconis, Tryphonis, Tyrannionis, Soteridae operibus nihil scimus nisi nomina; Didymi et Apollonii de orthographia librorum pauca quae supersuut fragmenta ad ποσότητα pertinent omnia. Plura comperta habemus de Oro, qui non multum post Herodianum vixisse videtur [1]), doctrinae eius adversario: acerrimo. Inter huius enim scripta Suidas haec enumerat: ὀρθογραφίαν κατὰ στοιχεῖον, περὶ τῆς ει διφθόγγου, ὀρθογραφίαν περὶ τῆς αι διφθόγγου κατὰ Φρυνίχου κατὰ στοιχεῖον. Sed libros περὶ τῆς ει διφθόγγου et περὶ τῆς αι διφθόγγου partes tantum totius operis fuisse quis est quin Ritschelio (de Or. p. 36) concedat? Praeterea Bernhardius verba κατὰ

---

1) Ritschl, de Oro et Orione p. 11.

Φρυνίχου ab integro quopiam titulo divulsa esse summo iure proposuit; pertinere haec ad Ἀττικῶν λέξεων συναγωγὴν nomini Orionis Alexandrini a Suida addictam, coniectura est Ritschelii non minus speciosa quam incerta. Addendum est, ab Orthographia Ori [1]) diversum fuisse commentarium, quem in Herodiani Orthographiam composuit, in quo eum plerumque impugnasse Herodiani sententias suspicari licet.

Ori igitur Orthographiam κατὰ στοιχεῖον conscriptam fuisse a Suida comperimus; eadem autem ratione Herodianum opus suum disposuisse, compluribus de causis putare dubito. Ac primum quidem propter id ipsum quod Suidas vel potius is quem exscripsit κατὰ στοιχεῖον addidit, parum probabile est, hoc disponendi genus usitatum pervulgatumque fuisse. Deinde tertiam Orthographiae partem, cuius fragmentum supra e Prisciano attulimus, literarum ordine dispositam non fuisse ex ipsa eius natura apparet, cum tales leges non ad singula vocabula pertineant. Nec non in altera tales leges tractabantur, veluti quae de ἂμ βωμοῖσι Herodianus docuit, quis putet in uno hoc exemplo fuisse demonstrata? Et sane ex Ori Orthographia nihil nobis traditum est, quod ex his partibus sumptum esse possit. Aliter res sese habet in prima parte: potest enim cogitari, singulas tantum voculas, in quibus ποσότης dubia erat, literarum ordine enumeratas fuisse; atque id ipsum ab Oro factum esse vidimus. Neque vero Herodianus eadem ratione usus esse mihi videtur. Nam cum in Orthographia de γρίπος vocabulo egerit (Or. p. 40), multo probabilius esse puto, hoc eum commemorasse, cum legem de vocibus in φος exeuntibus aut γρι syllaba incipientibus saepius a posterioribus grammaticis traditam [2]) exponeret, quam ad removendam de ipsius vocabuli scriptura dubitationem. Tractavit igitur, ni fallor, ita orthographiam Herodianus, ut leges linguae, non vocabula, enumeraret, id quod etiam Byzantinis temporibus factum esse videmus e tractatu περὶ ποσότητος quem Cramerus

---

[1]) οἰκεία ὀρθογραφία Zon. Lex. p. 1010.

[2]) Cram. An. Ox. 2 p. 294. Choer. ib. p. 188. Et. m. 241. Zon. Lex. p. 451 sq. Haec, sicut permulta quae Choeroboscus habet, quin ex Herodiano excerpta sint nullus dubito.

edidit (An. Ox. 2 p. 183 sqq.). Ea vocabula, quae in legem quandam non cadebant, seiunctim tractata fuisse non nego. Atque hac ratione cum credibile sit, Herodianum singula ποσότητος genera deinceps tractasse, cum Wettino (p. 14) puto, ea quae de δυσωπεῖσθαι in Etym. m. p. 297, 51 et in Zonarae Lexico p. 585 leguntur, ad Herodiani Orthographiam pertinere; additur enim his locis: οὕτως εὗρον εἰς τὸ ῥητορικὸν λεξικὸν τὴν λέξιν (v. Bekk. An. p. 234) καὶ εἰς τὸ ἀνεκφώνητον (τὰ ἀνεκφώνητα Zon.) Ἡρωδιανοῦ. Quamquam quid in tractatu de ι subscripto disputatio de illius vocabuli significatione sibi voluerit, prorsus me nescire confiteor.

A tertia quam dixi orthographiae parte, quam σύνταξιν veteres appellaverunt, longe diversus fuit singularis Herodiani liber περὶ συντάξεως στοιχείων sive, ut a Theognosto minus recte appellari videtur [1]), τάξις τῶν κδ' στοιχείων. Duo enim huius operis fragmenta [2]), quorum prius Ἐκβάτανα, non Ἐγβάτανα scribendum docet, alterum de υ et ρ literarum coniunctione agit, demonstrant, rectissime de hac re Lobeckium iudicasse (Par. ad Phryn. p. 484. Paral. p. 30): exposuit Herodianus, quaenam literae in singulis vocabulis sese excipere possent ac solerent; id quod pendet e literarum natura. Repugnare videtur huic sententiae tertium quod superest fragmentum (Theogn. p. 78): τὸ ἰῶτα μόνον ἐκ πάντων (sc. ὀνομάτων τῶν στοιχείων) καὶ τρισύλλαβον καὶ προπερισπώμενον · καὶ ἐχρῆν αὐτὸ προπαροξύνεσθαι · ἀλλ' ἐπεὶ στοιχεῖον ἦν ἠκολούθησε τοῖς δισυλλάβοις ἔχουσι πρὸ τέλους τὸν τόνον. Sed coniectare licet, Herodianum ad hanc rem pervenisse, cum de ι et ω literarum coniunctione ageret; vel etiam in initio totius libri pauca de singulis literis earumque appellatione atque ordine posuit. Utcunque vero ea res sese habet, ad orthographiam hoc fragmentum non magis pertinet quam cetera. Quae cum ita sint, est profecto cur miremur, quod A. Schmidtius (Beitr. p. 133) librum περὶ συντάξεως στοιχείων pro tertia illa Orthographiae parte

---

[1]) p. 26. Alteram inscriptionem ibidem legimus p. 78 et apud Steph. p. 14.

[2]) Steph. l. c. Theogn. p. 26.

habuerit [1]). In alium errorem multo ante inciderat Goettlingius (ad Theod. p. X. 209): cum enim nescio qua de causa putaret, Theodosii caput quod est p. 3, 20 usque ad 10, 25 ex eo Herodiani libro fluxisse de quo nobis sermo est, in hoc literarum ordinem expositum atque argumentis explanatum fuisse censuit. Quod fortasse, ut iam commemoravi, in initio operis factum erat; summam libri in alia re versatam fuisse ex iis quae attuli elucet.

Iam ea scripta Herodiani nobis commemoranda sunt (nam plus praestare non possumus), quibus doctrina sua usus est ad priorum grammaticorum opera explicanda, amplificanda, aut etiam, ubi opus erat, corrigenda. Talia autem tria novimus.

1. Ὑπομνήματα τοῦ περὶ παθῶν Διδύμου, quorum primum citatur a schol. Ven. Il. P 201, fortasse etiam Λ 160, alterum Γ 272; cf. Schmidt Did. p. 343 sq.

2. Ὑπόμνημα τοῦ περὶ γενῶν Ἀπολλωνίου. Steph. p. 359, 7.

3. Εἰς τὴν Ἀπολλωνίου εἰσαγωγήν, de qua supra v. Cum unico huius commentarii fragmento, quod exstat in Et. m. p. 143, 3. s. v. Ἀρίστυλλος, addatur οὕτως Ἡρωδιανὸς εἰς τὴν Ἀπολλωνιου εἰσαγωγὴν ἢ περὶ παθῶν, neque vero ullo modo credibile sit, Apollonii εἰσαγωγὴν idem opus quod eiusdem περὶ παθῶν fuisse, suspicor, commentarum inde tantum etymologo notum fuisse, quod Herodianus in opere περὶ παθῶν de Ἀρίστυλλος voce agens addidit, se idem etiam ἐν τῷ ὑπομνήματι εἰς τὴν Ἀπολλωνίου εἰσαγωγήν exposuisse.

Restant nobis quatuor vel quinque opera, quae inter cetera aptum locum non habere propterea existimavi, quia eorum argumenta partim nimis peculiaria sunt partim nimis generalia aut incerta. Et in uno quidem Herodianus grammatica ita usus est, ut non ea coniungeret quae ex linguae legibus coniungenda essent, sed vocabulorum idem rerum genus significantium etymologias et formas explicaret. Neque eum solum hac ratione usum fuisse demonstrat Soranus medicus, qui ἐτυμολογίας τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου sive περὶ ἐτυμολογιῶν τοῦ ἀνθρώπου composuit [2]). Herodianus autem περὶ γάμου καὶ

[1]) Dubitantius de hac re locutns est Wettinus p. 16.

[2]) Or. p. 34, 9. 131, 4. 159, 18.

συμβιώσεως scripsit atque unum quod superest fragmentum huic inscriptioni valde convenit (Et. m. 149, 47).

Non prorsus ad idem genus referendum est Herodiani συμπόσιον. Nam ex fragmentis videmus, in hoc eum non solum vocabula ad ipsas cibi potionisque significationes pertinentia tractasse, sed etiam alia, ut ὀθόνη, φάτνη, ψάλλειν, ψέδ·ος [1]), quorum postremum quidem quid inter convivalia sibi velit non intellego. Quare censeo, hac ratione eum usum fuisse, ut a doctis convivis variorum verborum, prout locus, sermo, denique ipsum convivium secum ferret, etymologias disputari fingeret. Scaenam convivii Puteolos fuisse inde fortasse conicere licet, quod librum ibi scriptum esse nobis traditum est. Eos, qui eandem quaestionum formam adhibuerunt, enumeravit Schmidtius (Did. p. 368 sqq.); quibus addere fortasse potuit Zenodotum Mallotam: is enim dialogi forma usus est in libro quodam ubi „sub nomine Naucratis facit disserere Aristarcheos, qui putant alium Paeana esse, alium Apollinem; ipse eundem nec diversum multis docet“ (Schol. Veron. Aen. 10, 738). Ceterum toto disputandi genere Herodiani Convivium a ceteris eius operibus haud multum diversum fuisse demonstrat fragmentum quod est in Etym. m. p. 420, 36.

Silentio non praetermittenda mihi est res primo quidem aspectu satis mira, neque tamen, ut ego arbitror, ullius momenti, quam commemoro hoc loco, cum aptiorem nesciam. Scholiasta enim Dionysii Thracis ubi exposuit, unde Apollonius o literam quam ε breviorem esse demonstraverit, ita pergit (p. 800): πρὸς ὃν φησιν Ἡρωδιανός, ὅτι ὥσπερ οὐ δεῖ τῇ παραθέσει τοῦ ι τὴν τοῦ ε καὶ ο δύναμιν ἐξετάζεσθαι, ἀλλ' ἰδίᾳ ἕκαστον αὐτῶν· ὁ δὲ Ἀπολλώνιος πρὸς αὐτόν· ὦ τέκνον, τίνι λόγῳ; καί φησιν (sc. Herodianus) ὅτι πᾶν στοιχεῖον ἀφ' ἑαυτοῦ ἄρχεται κτλ. Dubitari nequit, quin haec colloquii speciem prae se ferant. Et ita sane visum est Eggero (Ap. Dysc. p. 36), qui ad explicandam hanc rem tria statui posse censet: aut tractatam fuisse illam de brevibus literis quaestionem in eo Herodiani libro, qui ἔλεγχοι inscriptus est, aut in Convivio,

---

[1]) Or. p. 124, 11. 162, 8. 168, 17. 18, 4.

aut exstitisse temporibus Byzantinis enchiridion artis grammaticae, cuius auctor Apollonium et Herodianum inter se concertantes quasi in scaenam produxerit. Atqui in tali opere quale fuit Convivium de literis Herodianum egisse minime probabile est, neque omnino Dionysii scholiastae Convivio usi esse videntur. Ἔλεγχοι (quos hic commemorasse sufficit) uno tantum Orionis loco (p. 41) citantur, quo γρυπός vocabuli etymologia exponitur. Itaque id tantum conicere licet, quod ex ipsa inscriptione consequitur, Herodianum hoc libro aliorum sententias refutasse. Sed quis putaverit, hoc ita eum fecisse, ut se cum adversariis colloquentem fingeret? Denique miri illius dialogi, de quo Eggerus cogitavit, vestigium nusquam reperitur. Mihi persuasum est, verba ὁ δὲ Ἀπολλώνιος πρὸς αὐτόν · ὦ τέκνον, τίνι λόγῳ; nihil aliud esse nisi insulsum scholiastae Byzantini additamentum, qui fortasse ieiunas quas retulit quaestiones istius modi iocis condire studuit. Rem ita sese habere iam ex eo colligi potest, quod in duobus aliis scholiis eadem explicantibus, quae ceteroquin multo integriorem formam exhibent, nullum inest colloquii vestigium (Bekk. An. p. 798. Theodos. p. 33 Goettl.) Eandemque dialogi formam etiam alibi a grammaticis Byzantinis usurpatam invenimus, veluti a Choerobosco p. 641, 11: ταῦτα μὲν ὁ Ἀπολλώνιος. ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς ἀνατρέπει αὐτὸν λέγων ὅτι κακῶς λέγεις κτλ. cf. etiam p. 454, 21 sqq. Imprimis vero hanc consuetudinem demonstrat locus Etym. m. 741, 46, quem totum exscribere longum est.

De iis libris, qui in solis dissolvendis quaestionibus occupati erant, Lehrsium praeclara commentatione egisse nemo nescit. Inter horum librorum scriptores etiam Herodianus fuit, qui προτάσεις suas (sive προτατικόν) ipse citat ad Il. Ψ 604 et Ω 657. Atque hoc posteriore loco non dubito quin codex Venetus integrum huius libri locum servaverit. Nam post hanc adnotationem ex Prosodia Iliaca sumptam: ποσσῆμαρ: ὑφ' ἕν, περισπωμένης οὔσης πρὸ τέλους, ὡς καὶ ἐν τῷ αὐτῆμαρ καὶ ἐννῆμαρ, ἐξῆμαρ · προείρηται δὲ ἤδη περὶ τῆς λέξεως, ἀλλὰ καὶ ἐζήτητο ἐν ταῖς προτάσεσιν · παραιτητέον οὖν τοὺς κατὰ διάλυσιν ἀναγινώσκοντας, haec adduntur: ἐν ἑτέροις ὁ Ἡρωδιανός φησι · πόσα μέρη ἐστὶ τὸ ποσσῆμαρ; ἓν γὰρ οὐ δύναται

εἶναι, διότι οὐδέποτε πυσματικὸν μέρος λόγου προτάσσεται ἐν συνθέσει, ἐξῃρημένου τοῦ ποδαπός· ἐπέγκειται γὰρ τὸ ποῖος τῷ δαπέδῳ · δύο δὲ πάλιν οὐ δύνανται εἶναι· εἰρήκει γὰρ ἂν πόσα ἤματα · ἀπορουμένου τοίνυν αὐτοῦ, κάλλιόν ἐστι λέγειν, ἓν εἶναι μέρος λόγου ὅμοιον τῷ ἐννῆμαρ. Elucet, hanc disserendi formam nullí alii libro magis convenire. Praeterea cum hoc Prosodiae Iliacae loco ἐζήτητο, altero quo προτάσεις commemorat ἐζήτησα Herodianus dicat, ad idem opus referendum esse puto quod legimus ad Π 305 ζητῶ περὶ τοῦ τόνου τοῦ ὑποεῖκον πῶς δεῖ ἀναγινώσκειν et ad Ρ 190 — ὅτι μὴ μόνη ἡ ἀέκων περὶ ἧς ζητοῦμεν, cf. ad Ε 153 διά τί δὲ τὸ α ἐψιλώθη (in ἀέκων) ἐν ἑτέροις ἔφαμεν. Orus, cum λύσεις προτάσεων τῶν Ἡρωδιανοῦ scriberet (Suid. s. v.), id sine dubio egit, ut aut earum quaestionum, quas Herodianus in medio reliquerat, solutiones proponeret, aut ab Herodiano propositas corrigeret. —

Tractatus περὶ μονήρους λέξεως [1]) unus inter omnia Herodiani scripta integer, etsi textus corruptissimus est, ad nos pervenisse videtur. Quamquam enim unum alterumve caput librarii neglegentia excidisse certis argumentis negari nequit, tamen neque ullum exstat interpolationis signum neque singula operis capita excerpta aut in breviorem formam redacta sunt. Id unum quod p. 14, 26 φησὶ Herodiani verbis insertum invenimus, fortasse aliquis ad talem grammatici cuiusdam operam referat; equidem Lehrsio potius assentior, qui hanc rem e posteriorum temporum consuetudine explicare studet. Est tamen locus satis memorabilis; cum enim saepius (ut Lehrsii verbis utar) grammatici, ubi aliquem exscribunt, illud φησὶ interposuerint, vix multos locos esse arbitror, quibus librarii in describendo toto quodam opere versati idem vocabulum addiderint [2]). Praeterea pro Byzantinae aetatis indicio fortasse habenda est mira illa pudicitia quae apparet p. 14, 13 [3]). —

---

[1]) De huius vocis significatione v. Lehrs Her. p. 321.

[2]) Schneiderus φημί scribendum esse suspicatur, jen. LZ. 7 p. 611.

[3]) Eodem modo verba Herodianea mutasse videtur Choerobos cus, loco a Lehrsio allato, p. 631.

Ceterum duos libros qui agunt περὶ μονήρους λέξεως non eodem tempore editos esse ex hoc efficio. In altero libro de praepositionibus quibusdam Herodianus agit; cuius rei causam ipse profert in eiusdem libri praefatione (p. 29, 9): ἐπεὶ δέ τινες ἐπεζήτησαν, εἰ δύναται τὸ τοιοῦτο εἶδος καὶ ἐν προθέσεσιν ὀφθῆναι, κατὰ τοῦτο ἐπειράθην ὀλίγας προθέσεις ἐλέγξαι ἐν εἴδει τινὶ μονήρους ὑπαρχούσας. Eo autem tempore, quo priorem librum edidit, de praepositionum formis disputare a proposito suo alienum esse putaverat (5, 25. 27, 25). Unde consequitur, post editum demum librum priorem Herodianum interrogatione discipulorum permotum esse, ut a consilio suo discederet, Tractavit autem priore libro eas tantum μονήρεις λέξεις, quae non solum prioribus, sed etiam suis temporibus erant usitatae, altero promiscue utrumque genus. Atque in utroque libro primum locum obtinent nomina, secundum verba, tertium in priore adverbia, in altero praepositiones, quas adverbia sequuntur. Ceterum in singulis capitibus digerendis Herodianus ordinem non adhibuit, nisi quod interdum formae duorum aut plurium vocabulorum, quae aliquo modo grammaticae ratio iungit, una explicantur, velut γουνός et δουρός p. 34, Ῥᾶρος et φᾶρος p. 35, κρείσσων ἥσσων ἀμείνων χείρων γλύσσων μείζων p. 40 sq., ἑσσί et εἷς p. 44. Quae cum ita sint atque omnia fere, quae in libro nostro tractantur, etiam in aliis scriptis, praecipue in Catholica, ab Herodiano modo fusius modo brevius exposita esse appareat, liber paulatim ortus esse videtur e collectione earum vocularum [1]), quas, cum in accuratissimum Graecae linguae studium incumberet, μονήρεις esse intellexit. Eam igitur collectionem in duas partes divisam post editos magna opera de prosodiae et orthographiae legibus composita seiunctim emisit, additis praefationibus et epilogis, poetarum scriptorumque locis, nec non iis canonibus, e quibus μονήρεις esse voces illas eluceret. Nobis duas ob causas magni pretii est liber, et propter copiosum doctrinae apparatum, et quia ex eo discimus, qualis fuerit vera Herodianeorum scriptorum indoles. Ipsam autem rationem, qua

---

[1]) neque vero omnium, cf. Et m. 63, 18. 66, 35. Choer. p. 374, 14.

nititur Herodiani περὶ μονήρους λέξεως doctrina, comprobari minime posse Steinthalius demonstravit.

VI.

De argumento et indole eorum librorum, qui ἐπιμερισμοί inscribebantur, Lehrsius praeclare nos docuit neque ego habeo, quod de hac re addere possim. Id quoque ex ipso vocabuli usu ac significatione pro certo evicisse mihi videtur, Herodianum opus ita inscriptum non composuisse. Contradixit quidem huic sententiae La Rochius (Ztschr. f. d. oesterr. Gymn. 12 p. 509); cum vero Lehrsii argumentationem nullo verbo refelleret, haud multum profecit ad suam opinionem comprobandam. Liceat igitur mihi, eo fundamento quod Lehrsius posuit inniti, praesertim cum Schneidewinum (gött. gel. Anz. 1848 p. 1284), Schneiderum (Phil. 3 p. 751), Lentzium, viros haud spernendae auctoritatis, ei adstipulatos esse videam.

Neque autem a Lehrsio haec res ad finem perducta est. Iam enim duo cogitari possunt. Aut ἐπιμερισμοί illi, qui sub Herodiani nomine ferebantur, loci erant ex operibus re vera Herodianeis excerpti collectique; atque haec est sententia Lehrsii et Lentzii. Aut opus illud unde unde conscriptum erat a posteriore quodam grammatico, qui celeberrimi technici nomen fraudulenter imposuit. Apparet autem, eam quaestionem summi esse momenti. Si enim, quod priore loco posui, verum est, Epimerismorum fragmenta ad Herodianum nobis sunt referenda, nisi certis argumentis id vetamur; sin alterum, originem Herodianeam uni tantum atque alteri eorum tribuere licet, ac tum demum licet, si aliunde eam comprobare possumus. Et ante omnia quidem per se nulla est causa, cur Epimerismos, cum primum hoc opus ab ipso Herodiano non scriptum esse demonstratum est, ex libris Herodianeis collectos esse statuamus, nam saepissime ab hominibus Byzantinis Herodiani nomine libros fallendi studio inscriptos esse constat. Itaque hac via, opinor, nobis progrediendum est, ut quaeramus, num pleraque aut saltem multa eorum, quae ex Epimerismis servata habemus, etiam in genuinis Herodiani scriptis exposita

esse sciamus. Nam id nemo vel iocans putaverit, ea, quae in Epimerismos transierint, propterea ex genuinis operibus excidisse.

Epimerismorum quadraginta fere fragmenta supersunt, atque haec omnia in etymologia versantur; exponunt enim noto veterum more, qua ratione quibusque passionibus prima vocabuli alicuius forma in aliam transierit. Ac prorsus idem argumentum fuit librorum περὶ παθῶν; in Catholica quoque talia tractasse Herodianum vidimus. Itaque si Epimerismi ex Herodiani scriptis excerpti sunt, ex hisce potissimum operibus eos excerptos esse veri simillimum est. Atqui longe aliter haec res apparet. Cum enim multa librorum περὶ παθῶν ac nonnulla etiam Catholicae fragmenta ad nostram aetatem pervenerint, neque inter haec neque inter alia Herodiani fragmenta, quae quidem certo operis nomine insignita sunt, aliquem Epimerismorum locum reperire potui, excepto uno. Nam οἶος vocis etymologiam, quam Orio ex Epimerismis affert (p. 124, 4), Herodianeam fuisse videmus ex Arc. p. 40, 6 (cf. Lentz Phil. 21 p. 156). Id autem quod La Rochius protulit (p. 511), πηλός vocis etymologiam ex Herodiani Convivio sumptam, nihil probat, cum ex Epimerismis non huius, sed ἄμπελος vocis etymologiam Orio hauserit (p. 10, 18); alteram ex Convivio, quo saepius usus est, addere potuit. Quae cum ita sint, nullam causam me videre fateor, cur plerosque Epimerismorum locos ex Herodiano fluxisse nec potius totum opus fraudulenti cuiusdam esse arbitrer, nisi quis plures eorum cum reliquiis sine dubio Herodianeis congruere demonstrat. Atque in hoc rerum statu elucet, caute iis fragmentis utendum esse, quibus nomen operis non additur. Nam saepe, quae in uno libro ita citantur, ex Epimerismis sumpta esse aliunde constat; itaque alia quoque, quorum fontem non comperimus, eandem originem habere possunt.

Accedit, quod in singulis Epimerismorum fragmentis quaedam insunt, quae iustas suspitionis causas praebent. Haec iam recensebo, quin augeri possint minime dubitans. Quamquam concedo, talia argumenta in singula tantum, non in totum opus valere.

1. Incipio a loco notissimo. Schol. Ven. Il. Δ 66 λέγουσι

δέ τινες ὅτι ἐν τοῖς ἐπιμερισμοῖς λέγει ὁ Ἡρωδιανὸς ὅτι μετοχή ἐστιν· λέγει γὰρ ὅτι ἐστὶ κυδαίνω ὑπερκυδαίνω, ἐκύδανα κυδάνας ὑπερκυδάνας ὑπερκυδάναντας καὶ κατὰ συγκοπὴν ὑπερκύδαντας. ἐν δὲ τῷ ὀνοματικῷ λέγει ὅτι ὄνομά ἐστι καὶ μᾶλλον ὄνομα δεῖ λέγειν αὐτὸ ἤπερ μετοχήν· τῷ γὰρ ὀνοματικῷ δεῖ μᾶλλον πιστεύειν ἢ τοῖς ἐπιμερισμοῖς· τοῦτο γὰρ ὡμολόγηται εἶναι Ἡρωδιανοῦ. (add. ex Et. οἱ δὲ ἐπιμερισμοὶ οὐκ εἰσὶν αὐτοῦ πάντες,) ἀλλ' εἰσὶ καὶ ψευδεπίγραφοι. Inde fluxit locus in Et. m. 779, 20, ubi postrema integriora exstant, Eustath. ad Il. p. 445, 30, anon. de nomine in Choerob. p. 35, 3, ubi miserrime est corruptus. Atque quae ex eo discimus duo sunt. Primum ipsa illa inter Epimerismos et libros de nomine discrepantia; quamquam haec non nimis urgenda est. Praeterea autem videmus, scholii scriptorem compertum habuisse, inter eos libros qui Ἡρωδιανοῦ ἐπιμερισμοί inscribebantur, quosdam esse spurios. Ac de iis ipsis Epimerismis de quibus hic agitur dubitavit; nam si hos genuinos esse scivisset, qua ratione illa scribere potuisset? Quae cum ita sint reputes quaeso, num veri simile sit, maximam huius libri partem ex Herodiano fuisse excerptam. — Quod vero La Rochius arbitratur, dubitationem ortam esse propter solam inter duos libros discrepantiam, id rationi, qua grammatici illi utebantur, prorsus contrarium est. Imo perlustratis iis locis, quibus Herodianus sibi ipse contradixisse traditur, invenimus, grammaticos haec simpliciter referre nec dubitantes nec mirantes.

2. Schol. Il. BLV Z 414 τὸ ἀμόν ἐν μὲν τῇ Ἰλιακῇ προσῳδίᾳ φησὶν ὁ Ἡρωδιανὸς Δωρικώτερον εἶναι ἀπὸ δοῦ ἁμέτερον· ἐν δὲ ἐπιμερισμῷ φησὶν ὅτι ἀπὸ ἐμόν ἐκτέταται τὸ ε εἰς α μακρόν. Cf. Her. ad h. l. et ad N 96.

3. Theogn. p. 71, 4 εἰ σεσημείωται τὸ ἑταῖρος προπερισπώμενον διὰ τῆς αι διφθόγγου, γέγονε δὲ παρὰ τὸ ἔθος ἐθαῖος, ὡς δρόμος δρομαῖος, καὶ τροπῇ τοῦ θ εἰς τ, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ρ ἑταῖρος, μεταθέσει τῆς ψιλῆς εἰς δασεῖαν· οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν ἐπιμερισμοῖς. Atqui non ea argumentandi ratione usus est de Mon. 21, 5.

4. Et Gud. p. 131, 18 γυνή: δυνή τις οὖσα, παρὰ τὸ δύνειν αὐτῇ τὰ σπέρματα τὰ ἀνθρώπεια, τροπῇ τοῦ δ εἰς γ· ἢ παρὰ τὸ

ἐκ μελῶν τοῦ ἀνδρὸς γεννᾶθαι [1]) κτλ. Egregium profecto doctrinae Herodiani testimonium, qui non solum veterum Graecorum opera, sed etiam sacram scripturam in animo tenebat. Quamquam hoc sane tale est, ut paene putaverim, ea demum quae sequuntur ex Epimerismis exscripta esse.

5. Et m. 66, 20 οὐ δεῖ ἐπὶ τῶν κυρίων ἐτυμολογίας λαμβάνειν. οὕτως Ἡρωδιανὸς περὶ παθῶν. Hoc praeceptum, si consideramus, qua ratione quibusque auxiliis in tractanda etymologia uti Graecis licuerit, sanissimum esse ac prudentissimum non possumus non concedere. Quamquam ne Herodianus quidem a nominum propriorum etymologiis prorsus abstinuit. Sed caute hasce res aggreditur raroque tantum, ubi dubitationi locus ei non esse videbatur [2]), certam quandam sententiam pronuntiat. Veluti ipso quem attulimus loco postquam nominis Ἀλκμήνη duas etymologias proposuit, addit: οὐδὲν γὰρ ἔχομεν εἰπεῖν ἐπὶ τούτου πλέον. κύριον γάρ ἐστι τὸ ὑποκείμενον· οὐ γὰρ κτλ. Cf. etiam ad E 9. Choer. p. 272, 1. Theogn. p. 26, 30. Cum ea autem consuetudine vide quo modo congruant quae ex Epimerismis afferuntur ab Orione p. 63, 32 et a Cyrillo in Cram. An. Par. IV. p. 180, 1.

6. Accedit quod locus a Cyrillo allatus omnino alienus est, ab Herodiani in etymologiis explicandis ratione. Is enim ni fallor, semper ita agit, ut unam vel complures formas fuisse statuat, e quibus ea, de qua agitur, per varia πάθη orta sit. Illo autem loco haec legimus: Ἀσκληπιός: ὁ τὰ Ἄγαν ΣΚΛηρὰ ἩΠΙΑ ποιῶν· οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν ἐπιμερισμοῖς.

Fuerunt, ut supra vidimus, complures libri Ἡρωδιανοῦ ἐπιμερισμοί inscripti. Quare arbitretur quispiam, frugmenta ad diversos Epimerismos esse referenda. Ea vero sententia ad expediendam totam quaestionem nihil nos iuvaret; nam quis unum opus ab altero discernat? Praeterea ne veri simile quidem est, Orionem et etymologos eodem titulo saepissime adhibito diversa opera significare. Semel in Et. m. 3, 2 invenimus οὕτως Ἡρωδιανὸς εἰς τοὺς μεγάλους ἐπιμερισμούς, atque hos magnos Epimerismos ab iis, qui epitheto carent, diversos

---

1) Videtur de γυῖα voce cogitare.

2) Cf. exempli gr. Et. m. 617, 1. Eust. ad Dion. Per. 859.

esse La Rochius haud magna cum probabilitate suspicatur (p. 510); sed de talibus non disputandum. Mairis momenti duo alii loci sunt: Schol. Ar. Av. 877 Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ „βάσκ' ἴθι Ἶρι ταχεῖα τὸν Ἕκτορι μῦθον ἔνισπες (Il. Λ 186)" ἐπιμερισμῷ φησι τὸν Χάρητα λέγειν βαρύνειν Ἀττικοὺς τὸ στροῦθος. Schol. V Il. T 267 πολιῆς: ἀλλ' εἴρηται μὲν ἐπὶ πολλῷ χρόνῳ ἥκειν· ἀπὸ δὲ τούτου τὸ λευκή ὁ Ἡρωδιανὸς ἐν ἐπιμερισμῷ τώου (leg. τῷ aut τοῦ) „οὐκ ὄγχνη οὐ πρασίη τοι (Od. τ 247)", quem locum La Rochius accurate exposuit (p. 516). Apparet hanc citandi rationem, quae ad certos versus Homericos spectat, prorsus diversam esse ab ea qua Orio et etymologi utuntur. Neque tamen cum Sauppio (Ztschr. f. d. AW. 1835 p. 666) putaverim, hos locos (quorum prior certe ex Herodiano sumptus est, cf. Mon, 42, 14) ad Prosodiam Homericam esse referendos. Nam parum probabile est, Herodianum ad Il. Λ 186 propter μῦθον vocem (de cuius accentu dicere profecto non opus erat) etiam de στροῦθος egisse, ad Od. ω 247 autem talia adnotasse qualia exstant in Cram. An. Ox. I. p. 366, 29; haec enim sine dubio integra alterius forma est. Duo loci id demonstrare videntur, exstitisse Epimerismos Herodiani nomen prae se ferentes, quorum scriptor versibus Homericis ad varias res grammaticas proferendas usus est [1]), atque hos ab eo opere, quod etymologi in usum suum converterunt, diversos fuisse propter diversam citandi rationem probabile est. Ultra non progredior. — Ne quid Herodianeum nomen ferens hoc loco omisisse videar, commemoro etiam Epimerismos e duobus codicibus Parisinis a Boissonado editos [2]), de quibus quid censendum sit iam nemo ignorat. Optandum sane esset, ut omnes falsaverii posteris tam facilem detegendae fraudis ansam praebuissent praeberentque. —

In Etym. m. (794, 38) citantur Ἡρωδιανοῦ ζητούμενα τῶν μερῶν τοῦ λόγου de differentia vocabulorum φιλοπότης et φιλοπώτης. Atque agitur sane de eadem re in libello Herodiani

---

1) Cf. Lehrsii horum librorum descriptionem, p. 425 sq. — Ad eiusdem generis librum spectare videtur Δίδυμος ἐν ἐπιμερισμῷ τοῦ „μῆνιν ἄειδε θεά." Schol. Od. δ 797.

2) Iidem exstant in cod. Vindob. 246. Nessel, catal. 4 p. 131.

nomen prae se ferente, qui in codice Augustano inscribitur Αἰλίου Ἡρωδιανοῦ περὶ ἡμαρτημένων λέξεων, in Barocciano Ἡρωδιανοῦ περὶ τῶν ζητουμένων κατὰ πάσης κλίσεως ὀνόματος et περὶ κλίσεως ῥημάτων τοῦ αὐτοῦ, in Laurentiano Ἡρωδιανοῦ τῶν ζητουμένων κατὰ κλίσιν παντὸς τοῦ λόγου μερῶν et τοῦ αὐτοῦ περὶ ῥήματος. Editus est ex Augustano ab Hermanno (de emend. rat. Gr. gramm. p. 301 sqq.), e Barocciano a Cramero (Ant. Ox. 3 p. 246 sqq.); e Laurentiano priorem partem emisit Bandinius (cat. codd. bibl. Laur. I. p. 144 sqq.) Textus Laurentiani e Barocciano fluxisse videtur; Augustanus Barocciano praestat: sed cum hic quoque nonnulla habeat quae in illo desiderantur, uterque adhibendus est. Eundem tractatum etiam in duobus codicibus Parisinis inveniri adnotavit Cramerus; cf. Schoell Gesch. d. gr. Litt. II. p. 560. Ea quae Piersonus apud Moeridem (p. 454 sqq.) edidit ἐκ τῶν Ἡρωδιανοῦ inscripta, usque ad p. 460 (οἱ παρατατικοὶ δὲ ἔνεμον καὶ ἤθελον) e codice quodam brevissime excerpta sunt qui Barocciano similis fuisse videtur; quae sequuntur, e variorum ut videtur grammaticorum libris confuse sunt exscripta et in angustum coacta [1]). Nam cum ipse ille tractatus ita institutus sit, ut priore loco de nominibus, tum de verbis agatur, in iis quae sequuntur ordo omnino nullus inest. Haec igitur in disputatione nostra omittenda censemus; nam licet unum vel alterum in scriptis Herodianeis originem habeat, comprobari hoc nullo modo potest. Idem quod de Piersoni excerptis, etiam de iis valet, quae Phrynichum sequi solent (p. 451 sqq. Lob.), nisi quod brevior est eorum forma.

Ut igitur revertar ad opusculum ab Hermanno et Cramero editum: ipse Hermannus non dubitavit, quin pars esset Herodianei libelli (praef. p. XV); neque enim tum nota erant genuina Herodianii scripta. Postea igitur Ritschelius excerpta tantum Herodianea ab Hermanno edita esse censuit (praef. Thom. p. XLVIII). Lehrsius denique dicendi genus non esse Herodianeum contendit (Her. p. 409. 422); atque hoc etiam is contendit, qui non ita ut Lehrsius libros

1) Complura etiam apud Thomam Magistrum inveniuntur, qui mox breviorem mox integriorem formam exhibet.

περὶ μονήρους λέξεως et περὶ διχρόνων pertractavit. Itaque id tantum aliquis putare possit, Herodiani librum aliorum additamentis auctum in tam brevem formam esse redactum, ut dicendi genus prorsus obscuratum sit. Et sane Lehrsius satis caute de ipsis rebus nihil nisi haec dicit: inesse in iis quaedam, quae ex Herodiano fluxisse non potuerint; quod luculento exemplo comprobavit. Possunt etiam alia addi, velut egregia regula in cap. 46 Herm. prolata: πᾶν δίχρονον διπλοῦ ἐπιφερομένου συστέλλεται, μάλιστα τοῦ ζ ἐπιφερομένου, quae facilius sane rem absolvit quam Herod. π. διχρ. 283, 25 sqq. 292, 17 sqq. 301, 6. Haec igitur res quo modo sese habeat, paulo accuratius est videndum. Itaque ut iam dicamus, quid tandem libello nostro contineatur: videmus, paene omnia ex eo genere esse, quod in Atticistarum libris invenimus. Num vero ullo loco nobis traditum est, Herodianum eius modi scripta reliquisse? Nam Prosodiam Atticam huc non pertinere in aperto est. Accedit quod nihil fere in opusculo reconditam doctrinam prae se fert, qua alioquin Herodianus excellit; imo vero plerumque agitur de rebus tritissimis, et scire profecto velim, in quorumnam hominum usum Herodianus demonstrare studuerit, perfecta verborum ζῆν et ψύχειν non esse ζέζηκα et ψέψυχα. Atque haec omnia ridiculam quandam docti studii speciem habent. Legas quaeso haec (33 Herm): τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων ζητεῖται πῶς τοῦ πλήσσω καὶ κρίνω ἀπὸ δύο συμφώνων καὶ αὐτῶν ἀρχομένων, τοῦ μὲν πλήσσω ἀπὸ τοῦ π καὶ λ, τοῦ δὲ κρίνω ἀπὸ τοῦ κ καὶ ρ, οὐκέτι ὁ παρακείμενος ἀπὸ καθαροῦ τοῦ ε ἄρχεται. Longe alius profecto generis ea erant, de quibus Herodianus quaestiones instituit. Sed audiamus etiam doctissimum responsum: λέγεται οὖν ὁ λόγος, ὅτι τὰ ἀπὸ δύο συμφώνων στερρῶν ἀρχόμενα, ταῦτα ἀποβάλλει τὸ σύμφωνον ἐπὶ τοῦ παρακειμένου καὶ ἀπὸ τοῦ ε ἄρχεται, τὸ δὲ πλήσσω καὶ κρίνω εἰ δοκεῖ ἀπὸ δύο συμφώνων ἄρχεσθαι, ἀλλ' οὐ στερρῶν ἀμφοτέρων κτλ. His igitur perpensatis arbitror, opusculum ab homine quodam Byzantino e paucis libris ad Atticistarum potissimum genus pertinentibus esse conscriptum neque quidquam in eo esse, quod cum aliqua probabilitate ad Herodianum referre possimus. Librum non integrum ad nos per-

venisse satis probabile est, cum quaedam in codice Augustano alia in Barocciano non leguntur.[1]) Fortasse post verbum aliae orationis partes tractatae erant. Facillime etiam fieri potuit, ut unum vel alterum postea adderetur; eius modi ea esse videntur quae Baroccianus in fine habet. Id autem quod tractatus sive ab auctore sive ab alio quolibet homine Herodiani nomine inscriptus est, non magis mirum esse censeo, quam id quod scriptor loci illius qui est in Etymologico opus pro genuino habuit. Ceterum si quis propter evitandam temeritatem contendat, fieri potuisse, ut Herodianus re vera ζητούμενα scripserit et locus ille de φιλοπότης et φιλοπώτης ex hoc opere et in in Etymologicum et in libellum de quo agimus transierit: non habeo quod huic rationi (qua totum de libello iudicium non mutatur) reponam, nisi quod cautior quam simplicior esse mihi videtur. —

Minus certe iudicare licet de libello eiusdem fere generis, qui Herodiani Φιλέταιρος[2]) inscriptus est. Id quidem constat neque argumentatione eget, cum, qua nunc exstat forma, ab Herodiano non scriptum esse. Quaeritur, utrum ex libro Herodianeo fluxerit necne, atque hoc certa cum necessitate diiudicare me non posse confiteor. Attamen duo me permovent, ut libellum ab Herodianea origine alienum esse probabilius censeam. Primum, ut iam dixi, nusquam Herodianus in Atticistarum numero fuisse traditur, praeterea nihil eorum, quae in Philetaero docentur, alias ad Herodianum refertur. Nomen vero Herodiani opusculo alicui praefixum perparvum aut potius, ut libere dicam, prorsus nullum Herodianeae originis argumentum esse demonstrant haud pauci libelli Byzantinis temporibus omnes conscripti, quos vel nominare

---

[1]) Cram. p. 254 sq. Herm. 19—23.

[2]) Quod ad Zenodoti cuiusdam libellum voces animalium enumerantis, cui adiectum est φιλέτερος, attinet, consentio cum Valckenaerio (anim. ad. Amm. p. 228), qui Zenodoti Philetaeri scriptori nomen fuisse coniecit. Certe quae Piersonus (Moer. p. XLVIII) et Schneiderus (Ztschr. f. d. AW. 1855 p. 253) de eo suspicati sunt, omni probabilitate carent.

supervacaneum est. Nomen Φιλέταιρος sine dubio propter id ipsum libro datus est quia ad Atticistarum genus pertinet: bonum legentibus amicum se esse scriptor fingit, quippe qui eos ne prave loquantur dehortetur.

Eduardus Hiller de vita sua.

Natus sum Francofurti ad Moenum, anno huius saeculi XLIV Iosepho et Mina parentibus. Primis literarum elementis imbutus gymnasium patriae urbis adii, quod tum Ioanne Classeno rectore florebat; atque huius potissimum disciplina factum est, ut literarum antiquarum amor in me nasceretur. Praeter Classenum Fleckeisenus praecipue et Eberzius, optime de me meriti, colendi mihi sunt pio gratoque animo. Verno tempore anni LXII maturitatis testimonio instructus, per duos annos Bonnae, deinde per unum Gottingae, denique per unum iterum Bonnae studiis philologicis operam dedi. Docuerunt me per hoc tempus Curtius, Lotze, Ritter, Sauppe, Waitz, Wieseler Gottingenses, Diez, Gildemeister, Iahn, Maurenbrecher, Monnard, Ritschl, Schaarschmidt, Schaefer, Schmidt, Simrock, Springer, de Sybel, Troschel, Walter Bonnenses. Exercitationibus interfui Schmidtii philologicis, Noordeni et Bernhardti historicis. Singulari benevolentia Iahnii et Ritschelii factum est, ut seminarii philologici Bonnensis per ter sex menses sodalis essem ordinarius; praeterea Iahnius benigne permisit, ut seminarii archaeologici sodalis ordinarius essem, Ritschelius ut exercitationibus interessem epigraphicis.

Parique humanitate Curtii, Leutschii, Sauppii et Wieseleri Gottingae et philologici et archaeologici seminarii sodalis ordinarius fui. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas; imprimis vero Iahnium et Ritschelium Bonnenses, Curtium et Sauppium Gottingenses sempiterna recordatione colam.

Sentententiae controversae.

1. Protagorae quae fertur divisio orationis (Diog. Laert. IX, 53. Suid. s. v. *Πρωταγόρας*. Quintil. 3, 4) non ad grammaticam, sed ad disputationem dialecticam spectat.
2. Complura eorum, quae de Dionysio maiore traduntur, ad Eubuli comoediam (Meineke fragm. com. III p. 217 sqq.) referenda sunt.
3. Finis versus qui est in Soph. Trach. 1186 corruptus est, errore ex v. 1184 orto. Scriptum erat *καὶ τόδ' ἐκπραχθήσεται* vel tale quiddam.
4. Eur. Hipp. v. 42 spurius.
5. Thuc. I, 17 verba *οἱ γὰρ ἐν Σικελίᾳ ἐπὶ πλεῖστον ἐχώρησαν δυνάμεως* spectant ad ea quae praecedunt *εἰ μὴ εἴ τι πρὸς περιοίκους τοὺς αὑτῶν ἑκάστοις*: Syracusarum tyranni magnam potentiam sibi comparaverunt bellis contra vicinos gestis.
6. Vell. Pat. II, 36, 3 scribendum: perfectissim*us* in forma operis sui.
7. Mommseni de Sophocle iudicium (röm. Gesch. I p. 922) probari non potest.
8. Ciceronis scripta philosophica in gymnasiis non tractanda sunt.